VITA P. BALTASARIS ALUAREZ È SOCIETATE IESU, EX...

Louis Janin, Luis : de la Puente, ...

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
25 A
17

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

VITA
P. BALTASARIS
ALVAREZ

è Societate IESV,

Ex prolixiore eiuſdem Hiſtoria,
quam P. LVDOVICVS A PONTE
ediderat, delibata
A quodam ex eadem Societate.

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

LVGDVNI,
Sumpt. Hæred. PETRI PROST,
PHILIPPI BORDE, & LAV-
RENTII ARNAVD.

M. DC. XLIV.
Cum permiſſu Superiorum.

Digitized by Google

Digitized by Google

Bmæ V.

DEI MATRI.

PAVCA hæc, ô Virgo & Mater Optima! fideliſſimi tui clientis ac famuli geſta, de occultis pluribus & indeprehenſis, (in quibus tuorum omnis gloria eſt) tibi accepta refero dedicóque, meo licet ingenij pietatíſque detrita vitio; vt quem illi afflaſti Religioſæ ſanctimoniæ ardorem, in eius ſocios eadem le-

gentes partiaris; ob hæc nota-
ta ſunt potius quàm narrata,
vt quò breuius legerentur, eò
diutiùs cogitarentur, & altiùs.
Sed fruſtrà ſit hæc meditatio,
exemplorúmque vis, niſi ea
vim ſuperiorem de tuâ, om-
nium potenti apud filium bo-
nitate accipiat; hanc illis om-
nibus & ſibi potiſſimùm, maxi-
mè omnium egenti, per quic-
quid hoc tuo gratum tibi vn-
quam in famulo fuit, ſupplex
& adorans abs te petit,

Maieſtatis tuæ poſt Diuinam ſupremæ

Indigniſſimus Adorator,

L. I. S. I.

SERIES

SERIES CAPITVM HVIVS LIBELLI.

Numerus paginam denotat.

Cap. I. ORtus Baltaſaris, Tyrocinium in Societate, ac literarium ſtudium. pag. 1

II. Precandi ſtudium, & familiaritas cum Deo. 3

III. Chriſti myſteria præcipuum fuere Baltaſari precationis argumentum. 5

IV. Baltaſaris mortificatio. 7

V. Obſeruatio votorum Religioſorum. 10

VI. Sacerdotium Baltaſaris. 16

VII. *Miniſteria erga proximos.* 20
VIII. *Prudentia, & ſimplicitas in proximis iuuandis.* 22
IX. *Fructus Abulæ in multis editi.* 25
X. *Inſigne orandi & contemplandi donum.* 29
XI. *Precationis efficacitas.* 34
XII. *Efficacitas verborum.* 40
XIII. *Labores animarum cauſa.* 43
XIV. *Præclara in inſtituendis Tyronibus opera.* 47
XV. *Rectoris munus à Baltaſare geſtum.* 55
XVI. *Humaniorum ſtudiorum, & iuuentutis cura.* 63
XVII. *Romanum Baltaſaris iter.* 66
XVIII. *Morbi & patientia.* 72
XIX. *Salmanticenſis Collegij gubernatio.* 76
XX. *Eius epiſtolæ quantam ſpirent lucem veræ pietatis.* 83

Digitized by Google

CAPITVM.

XXI. *Villagarcienſis Collegij gubernatio.* 90
XXII. *Sui demiſſio, & contemptus.* 97
XXIII. *Patientia in aduerſis.* 103
XXIV. *Aragoniam Generalis Præpoſiti nomine inſpicit.* 108
XXV. *Inſtitutio Patrum tertiã probationem agentium: & ad regendam Toletanam Prouinciam apparatus.* 115
XXVI. *Perfectio Baltaſaris in amore diuinæ voluntatis.* 119
XXVII. *Baltaſaris obitus poſt trimeſtrem Toletanæ Prouinciæ gubernationem.* 127

APPRO

Digitized by Google

APPROBATIO.

NOs infraſcripti, ſacræ Theologiæ Doctores facultatis Pariſienſis, legimus hunc librum, cui titulus eſt, *Vita P. Baltaſaris Aluarez*, in quo nihil fide Catholica indignum reperientes, vt Typis mandetur iudicauimus. Lugduni 9. Septembris anni 1644.

F. M. MICARD,
è Conuentu S. Bonauenturæ.

F. MOLIN, Carmelita.

CONSENSVS.

LIbrum hunc inſcriptum, *Vita P. Baltaſaris Aluarez*, &c. Typis mandari, & in lucem edi Sumptibus Hæredum PETRI PROST, PHILIPPI BORDE, & LAVRENTII ARNAVD Bibliopolarum Lugdunenſium, Ego Regis Conſiliarius, & Procurator in Lugdunenſi Præfectura, non impedio. Lugduni die 9. Septembris 1644.

LORIN.

PERMISSIO.

VIſo Procuratoris Regis conſenſu fiat vt petitur. Datum die 9. Septembris anno 1644.

SEVE.

VITA

Digitized by Google

VITA P. BALTASARIS ALVAREZ.

CAPVT I.

Ortus Baltaſaris, Tyrocinium in Societate, ac literarium ſtudium.

1 BALTASAR Aluarez Antonio Aluarez & Catharina Manricia Cerueræ natus eſt, nobilibus in Dicœceſi Calaguritana parentibus; ætatis anno vigeſimo altero Societati IESV nomen dedit; Societatis verò confirmatæ quinto & decimo; quod vtrumque in S. Bernardo animaduerſum eſt, cum Ciſtercienſi Ordini ſe

Digitized by Google

adiunxit. Senectutem ergo carorum parentum, ſororum orbitatem, & eiuſmodi perplexas remoras melioris patris ſecurâ fiduciâ excuſſit, affulgente ſibi per prudentes in Chriſto, cognatum præcipuè, diuina luce, in qua Societatis inſtitutum, multas quidem ob cauſas, ſed hanc potiſſimùm aliis antetulit, quòd tum primigenio ſpiritu caleret; quem propterea cognatum ſic ſemper coluit, vt ex itinere milliaribus decem quandoque diuerteret ad eum duntaxat ſalutandum.

2 Simancæ in Tyrocinio quod Buſtamancius B. Franciſci Borgiæ familiaritate notiſſimus regebat, quâ pueritiæ piè admodum traductæ, quâ commilitonum ardore incenſus, in precationem penitus, afflictationem ſui, cæteraſque virtutes immiſit ſeſe, ratus (quod poſtea quibus diu præfuit, inculcabat) quo gradu cœpiſſet, eo ſe reliqua vitæ ſpatia decurſurum. Laborioſum id dulcéque otium vix libarat cum acturus cocum, vicinum in Collegium mittitur, vbi perinde aliquot menſibus ſe geſſit, ac ſi nunquam foret præter coquinariam facturus.

3 Inde

3 Inde abſolutis quæ ante prouexerat, Philoſophiæ ac Theologiæ ſtudiis, tam idoneus euaſit ad regendas Societatis domos ac Prouincias, omniſque generis animas, vt eſſe cuiuis in iis muneribus pro exemplari poſſet, haud tam quidem excellentia diſputatricis Scholaſticæ, quam cœleſtis, & precando hauſtæ.

CAPVT II.

Precandi ſtudium, & familiaritas cum Deo.

1 PRecandi tam ardens ſtudium ab Tyrocinio ineunte Deus illi afflarat, vt diceret religioſas mentes velut pendens ſaxum vim pati grauiſſimam, quamdiu ab diuina conſuetudine, in quam & rapiuntur, & proruunt, inhibentur; qui verò eiuſmodi eſſent plus horâ vnâ rerum conficere, quàm alios multis, nec enim adhæreſcere negotiis, ſed iis quantocyus expeditos, ſuopte mox pondere in Deum reuolui.

2 Huic tamen ſuo primum laudabili,

Digitized by Google

poſt etiam anxio, modum hunc deſiderio poſuit, vt præcationis horas, obedientiâ metiretur; præſtare inquiens, quod dediſſet Deus, cum eo diuidere, quam furari, vt plus aliquid dares, ac obedientiæ holocauſtum rapinâ temporis fœdare, nec fore prorſus cum illo Deum, qui Deo ad alia vocanti ſe ad orandum ſubduceret: dum enim S. Matthæi die expoſtularet apud Deum anguſtias temporis, ad agendum cum ipſo vacui, factum eſt, inquit, ad me verbum Domini acquieſcere, & hoc tibi ſat puta, quod etſi vetaris mecum fuſiùs loqui, operâ tamen vtar tuâ.

3 Præſcriptis ergo ad precandum horis, ita totis ad vnguem fruebatur, vt ſolidas noctes quandoque iis adderet; vt facultate vſus officij (ferè autem ſemper aliis præfuit) coram Auguſtiſſimo Sacramento, duas tres-ve expleret horas, cum ſe ad quietem cæteri recepiſſent; & vt octo quotannis, vel quindecim dies ſeſe colligeret; aut, ſi horum copia negaretur, vnum ſibi ex menſe; medium, eumque matutinum ex hebdomada ſeponeret diem, Chriſto integrè donandum;

dum; tantas in orando norat vtilitates eſſe. Quare ſedecim annis, quibus totis hæſit in communi precandi methodo ab S. Ignatio præceptâ, nihil quamuis minimum de traditis ad eam regulis neglexit, & inter magnas diſſipati, ſqualentiſque animi nebulas, moleſtiaſque ſic durauit, ac ſi perpetuò adſpirantes haberet fauonios cæleſtis conſolationis.

4 Hoc inter orandum feruore vaporatus, quæ meditatus fuerat, vltrò per diem animo verſabat, cogitationis reliquiis diem feſtum colens; & vel in foro & compitis adeò collectus, ac ſi in cubiculo moraretur; illud magni viri, facto, dictoque conſtanter retinens, præſentis Dei memoriam paulatim euaneſcere, niſi prolixæ frequentiâ orationis foueretur.

CAPVT III.

Chriſti myſteria præcipuum fuere Baltaſari precationis argumentum.

1 POſt caſtigatam diu mentem accuſatoriâ ſuimet ac vindice meditatione,

tione, Chriſtum ſibi magiſtrum virtutis, præcipuum legit, parique illi temeritate, ac reuerentiâ, Domine, aiebat, vterque noſtrum ab æterno Patre ſuas habet officij partes, tu docendi, ego, vt potero, diſcendi; attentè audiam Magiſtrum; pronus in genua Dominum; manibus ſublatis Deum, nec (quidquid turbarum vndevis ingruat) ſtatione hac ſituque diſcedam. Ita ſe contemplationi dabat, vrebaturque acutiſſimo dolore, quod theſauros nobis in Chriſto donatos tam parùm noſſemus, quâ rei tantæ ignoratione nullam cenſebat Chriſtianis pernicioſius nocere, ipſe verò eiuſdem erga homines amorem, de amore illius in Patrem æſtimans (immenſo illo & ineffabili) cuius patris cauſa fratres natu minores tantùm dilexerat; totus in eo, eiuſque vitæ, ſed mortis potiſſimum arcanis habitabat, totum ſe ad eius imaginem & lineamenta fingebat; increpabat ſuam duritiem, quod amantem non ſaltem redamaret; quod infinitis nominibus (quæ inueſtigabat diligenter ac ſubtiliter expendebat) æterno Patri, æterno Spiritui, Matri, Beatis, Sanctis amabi

amabilem, & vnicè carum, ipſe frigidè cogitaret, poſſetque cum eo aliud quidpiam amare.

2 Hinc verò fiebat, vt peculiari apparatu dies præuerteret, quibus ſacra ipſius coluntur myſteria, Natalem, Epiphaniam, reliqua, maximè verò mortem & ſacratiſſimos cruciatus, in quibus diſcebat amorem proximi, ſuique odium; treſque illos Chriſti indiuiduos comites, paupertatem, contemptum & dolorem, cumque orandi ſtadium ingreſſos hortaretur, vt ab Chriſto patiente initium facerent, tum verò noſtris ſæpe iterabat, ne ſe quidquam cenſerent promouiſſe, donec IESVM de cruce pendentem mente perpetuò geſtarent.

CAPVT IV.

Baltaſaris mortificatio.

1 HVius verò geſtandi ſummam, haud putem alibi quàm in ſui mortificatione habuiſſe, cuius cultores morte breuiſſimâ vitam hîc viuere aiebat, quâ nulla eſſet in terris dulcior, ſcitè

illis aptans quod Martyribus ſanctis Eccleſia gratulatur, Mortis ſacræ compendio, vitam beatam poſſident.

2 Imprimis ergo naturæ indolem per ſe ſiccam parumque affabilem ſubegit, vt quidquid illi aſperum inerat, in ſe retorqueret; facilitatem miram, comitatémque aliis exhiberet. Parentes deinde, ac patriam nec nominabat vnquam, nec adducebatur vt viſeret, licet Romam iens, ac rediens plus inde tertio milliari non abeſſet; iuſſus autem quandoque reuiſere non ante paruit quàm multa in oppoſitum obiecisſet: eam ob cauſam nihil à propinquis admiſit vnquam, ne ſe doni vllius vinculo iis obligaret. Ad hæc Romæ cum eſſet, viſendorum theatro; videre nihil voluit, ſpectantibuſque diuerſa comitibus, ad ſacros interim Sanctorum cineres orando ſubſtitit. In cibo adeò nihil peculiare lautumve habuit, vt ſi quid tale ſibi poneretur, aſſidenti hoc daret, mutaretque cum illo, vbi cautè poſſet, ſi quid ſibi veniſſet in communi demenſo commodius; miſſa, vt fit nonnunquam, bellaria infirmis deſtinabat, nullâ ſibi eorum indulgens

dulgens particulâ; ægrotus ipſe ſtomachum nauſeantem magnâ vi ad cibum cogebat; ducebat ſenſim amariſſima pharmaca, & eorum reſiduo quaſi aromathite palatum & fauces colluebat. Abulæ cubiculum delegit tam anguſtum vix vt in eo ſeſe commoueret; nunquam ad ſedendum tametſi ex morbo debilis niſi ſcabello vſus eſt ligneo; totum corpus quotidianis verberibus ſæuiſſimè cædere, ciliciis, inediâ, ſtrati duritie tam dirè frangere, vt inhibendus fuerit obedientiæ habenis; animo ſcilicet, quod is dictitabat, Chriſti ſui amore ſaucio, ſocietatem illæſi corporis ac benè habiti non ferente.

3 Sed viâ graſſatus excellentiore in præfocandis voluntatibus propriis maior fuit, intelligens Deum nolle nos re vllâ delectari, niſi cælitus profectâ, & perinde vt lutum à figulo, ſic animum noſtrum tamdiu ab ſe verſari, dum ad omnes ipſius vel minimos nutus docilis exiſſet. Itaque Dei voluntatem ſanctis etiam ſuis anteponebat deliciis, & rogatus quandoque cur præter morem cogitabundus eſſet? Contendo, inquit, à me

impetrare, vt viuam, tanquam inter Africæ deſerta; vnde ſibi negabat quicquid natura expeteret, non in rebus tantùm alicuius momenti, ſed etiam in minutiſſimis; ad quas item monebat abnegationis iura pertinere; nec ſponſæ ſolùm manus ambas, ſed etiam digitos probatiſſimâ myrrhâ diffluere; nunquam ſubiratus, numquam turbatior viſus eſt, ſemper expeditus, liber, ſerenus, piâ modeſtâque grauitate amabilis, ſublacrymantibus oculis, ſpecie oris pœnitentiam ſpirante, totâ demum ſui conformatione componens intuentes.

Capvt V.

Obſeruatio votorum Religioſorum.

1 Ex ea quam diximus cum Deo conſuetudine ac implacabili ſecum pugnâ, nemo non videat ad caſtimoniam puratum mentium quàm propè acceſſerit, tametſi corpore ligatus; excidit illi neſcio quo caſu de ſe vt diceret, ſe ob perpetuam præſentis numinis cogitationem, motus impuros ſentire nullos; rebus

bus autem obſcœnis (qui ſummus eſt puritatis gradus) haud magis afficiebatur, quàm lapidibus & paleis, quod erat poſt multa & grauia bella, tandem aſſecutus quaſi victoriæ præmium: Tentatus in itinere velut alter Ioſeph ſe atque tentantem ita vicit, vt ad ſacram confeſſionem eam compelleret; nec tamen deſiit leuiſſimam quamque labendi materiam defugere, ratus illum periclitari atrocius quem intercepiſſet fuſcandi pudoris occaſio, quàm qui ſumma è turri exili ſtamine penderet, doctuſque de ſui, vt vocabat, nihili fontibus, nec offendi lapſibus alienis, nec eſſe de propriis ſecurus. Quoties igitur fœminas adiret, nunquam priùs ſedere, quàm ſedes ſocio poneretur; cum ſolâ nunquam ſine arbitris agere; tractare verò cum iis cautiùs quæ pietatem profitentur, quod amor alioqui Sanctus extra limites ſuos non raró prodeat, fiatque ex optimo longè deterrimus, id autem non ante deprehendi, quàm ita coaluerint animi, vt facilius ab Deo quàm ab ſe inuicem diuellendi eſſe videantur; tum verò irrepere Dæmonem, faces miſeris ſubiicere, excæ-

care incautos, atque irretire.

2 De paupertate verò ſic docuit, fruſtra ſibi diuinos è cœlo hauſtus, fruſtrà ſenſus ſublimes, voluptateſque mentis gratulari qui paupertatem non amarent; hoc eſt fame, ſiti, contemptu, frigore non gauderent, cæteriſque ſat notis paupertatis veræ comitibus, & hanc eius amoris obruſſam eſſe certiſſimam: ſibi quidem viliſſima quæque adeò arrogabat vt ſimpliciora etiam ornamenta ſacrum facturus eligeret, cohortationes quamuis egregias in opiſtographis ſcriberet, nec Concordantias quidem ſacras, quibus carere non poterat, habere apud ſe mallet, quam in communi, quoties egebat, Bibliothecâ requirere, vſque eô ardebat, vel neceſſariis de rebus ſemper ſibi aliquid deeſſe; cui deſiderio vt ſatisfaceret, vnáque religioſæ libertati, nihil ab amicis munuſculorum ſuſtinuit, memor quod habet S. Hieronymus, ſæculares quanquam his offendi repulſis præferant, laudare nihilominus piam hanc inurbanitatem, & recuſantium abſtinentiam, facilitati admittentium præferre, magnam quippe vim eſſe, veritatémque pauper

paupertatis: Holoſericam ſedem Metinæ dum eſſet, ad ſe dono miſſam in culinam tranſmiſit; vbi Nouitiis tamdiu fuit documento, eſſe religioſos inſtinctus mundanis oppoſitos, donec vetuſtate deflueret: nunquam veſtem, aut calceos induit niſi hæc alius iam vſu delibaſſet; ab curioſis verò abhorruit, ſeu lipſanothecis, ſiue imagunculis, & ſimilibus, quamuis ad pietatem comparatis aut alienam, aut propriam, quod hæc animum irretirent, præſtaretque talia omitti, quàm ſui aliquid Deo ſubtrahere, extra ipſum oblectari; amorem ipſius, ac fiduciam opes eſſe ſummas, certaque ſubſidia paupertatis.

3 Obedientiam denique ex ſuprema Dei, fidiſſimâque prouidentia æſtimabat, qui dum nobis parendi ſtudium votumque inſpirat, nouit planè agendi rudibus, ac iubendi, nec rerum peritis, neque virtute inſignibus fore interdum obnoxios; vtque impiorum quas peruidebat miniſtrorum ſacrilegam vitam obſtare is noluit, quo minus ad Aram verè conſecrarent, ita nec imprudentiam Rectorum, quo minus inconſiderato imperio

rio ſuos ad Chriſti prudentiam, perfectionemque deducerent; qui autem parendo delectum haberent iubentium, non eſſe minus contumaciæ ſuſpectos, quàm forent idololatriæ, qui crucem ex gemmâ, vel argento, ſpretâ ligneâ adorarent. Itaque virtutis tam neceſſariæ ſeipſe perpetuum quaſi canonem oſtendit; nam ſigno campanæ quopiam vocatus, indecorum putauit cœptam ducere literam, & Deo non ſtatim ſe ſiſtere; ex illa Raphaëlis voce, Cùm eſſem vobiſcum per Dei voluntatem eram; nullum domi vile miniſterium cenſuit, vtpote quod ſancto Dei famulatu nobilitaretur, quam velut animam ſi fingamus, vel ab ipſo concionandi munere abeſſe, nihil in eo optandum reſtare; vt è contrario culinæ ſordibus quid excellentiæ non inſit, ſi eam occupationem intelligamus Deo gratam? Cum enim cuiuſpiam poſcentes operam ei ſe hoc titulo obſtringant, quis hoc ſatis capiat ingens noſtrum ac ſublime decus, quibus maieſtas infinita, qualiſcumque, quam ex nobis poſcit, operæ nomine, ſe velit obæratam? quem porro gradum altiorem, aut tranquilliorem

rem quis ambiat eo gradu in quo ſit à Deo locatus? qua dulci cogitatione componi monebat omnes animi fluctus ambigentis de loco, munere, negotiis, craſtino; inuiſum autem Religioſis hominibus fieri deſultorium quemdam occupationum mutandarum, habitationiſque pruritum. Denique hinc item naſcebatur, nihil vt eſſet Baltaſari arduum, modò ex obedientia veniſſet; Eſto deeſſent dotes ad illud tractandum, hac ſuâ iubenti manifeſtatâ inopiâ, fidenter ibat, eôque audentius, quô malebat diuinis certiſque viribus, quàm dubiis ſuis, & infirmis niti; Deum ſi quidem per ſe portanda ſuſcipere, quæ imparibus nobis imponeret. Quare id quoque pro comperto dabat, valdè tutos eſſe, qui obedientiæ mandato, ſuam proximis nauarent operam, vſuroſque vel inter proſtibula cogitationibus candidiſſimis, dum fœdis ij vterentur, quos intra munita ſilentia, priuatum arbitrium clauſiſſet; nimirum intuta omnia, vbi Deus non eſſet, nec fore cum iis, qui quò iri nollet, abſcederent. Poſtremò expertus confirmabat, quæ moderatores præcepiſſent,

quàm

Digitized by Google

quàm quæ ſibi ſecùs occurrebant, ſemper ceſſiſſe feliciùs; ob idque vocabat Obedientiam Dei conſilium; myſterium fidei, vitæ venam, & aureum fontem, delectabaturque mirificè Prouincialis cuiuſdam ſenſu, cui cum Româ disertè, agenda mandarentur, expandi quodammodo cum cœlo eius animus videbatur; cum autem ſcribebatur, videret, cogitaret, factuque optimum ſeligeret, tum conſueſſe magnopere angi, & ab ſe ſibi, ac aliis timere.

CAPVT VI.

Sacerdotium Baltaſaris.

1 TRes annos egerat in Societate, cum eius nihilominus virtuti Sacerdotium viſum eſt tutò poſſe ac honorificè committi; qua noui muneris ſanctitate non facilè dictu eſt, quantum ipſe, iam partam auxerit. Horarum penſa ferè ſolus reddebat quo ſubſiſteret liberius ad excipiendos cum immitterentur, diuinos ſatus (quorum ſe poſtea crebritas, & vigor in cohortationibus prodebat) nunquam

nunquam peruio loco, nunquam deambulans, ſed annos complures flexis in medio cubiculi genibus; aut, ſi morbus vetaret, ſedens quidem, at nudo capite, nec vllâ corporis parte nixus, vt qui ſciret interioris motus magnum eſſe in reuerentiâ externâ præſidium.

2 Rei ſacræ celebrationem, ne in ſummis quidem omiſit periculis, vt cum per infeſta hæreticis tranſiret, tantùm abeſt, vt vllas huic præferret opportunitates; & erat hominis ad Aram ſpecies tam diuina, vt circum adſtantes mirè afficeret, faſſúſque ſit è noſtris non nemo, ſe illâ permotum ad Societatem complectendam. Sancta verò Mater Tereſia; & vidit quandoque toto Sacrificij tempore ſplendenti luce coronatum; & ſcripſit res ſuas, humanum profectò tranſgreſſas modum, potuiſſe ab eo idcirco percipi, quod ex luminum Patre in Euchariſtia ſplendoris plurimum traxiſſet; Tentatus autem à Patre Martino Alarconio, an verè iactaretur, cum præſidibus eorum Angelis quos confitentes audiebat, in ſacro colloqui? erubuit, ſcilicet, nec verbulum reddidit; facturus omnino,

pro

pro ſuâ modeſtjâ ſi rem negare potuiſſet.

3 Mediam ab ſacro agendis in gratiis ponebat, fruebaturque tunc copioſiore ſpiritus affluxu; nam diuerſa memorans lumina, ſcribit ea ſibi poſt ſacrificium affulſiſſe: In iis vt alia prætermittam, fuit admiratio ſingularis Magorum Regum Chriſti noui Regis humiles cunas adorantium; ſubruendum nimirum (quod niſi ſummâ vi non poteſt) ſubruendum, inquam, nobilibus, opulentis, prudentibus, monſtroſis Dagonem ex honore, voluptate, ac ſuperbiâ cónflatum, vel abiiciendam Dei Arcam, ne cum ſæuo ſuo, & vario verbere illam retineant, marcore, videlicet, duritie, tenebris aliiſque animi deſertionibus, quibus eô vſque cædendi ſunt, dum aut reſipuerint denique, aut inſulſum rati ac amarum Sacramenti cibum ſuæ induruerint fami, eumque ab ſeſe reiecerint. Aliàs indidem cauſam ſe ait inueniſſe, cur in excipiendo Chriſto intractabilem ſe non rarò anima ſentiret; nempe quod ipſo minimè contenta diſtraheretur in lacrymas, & ſenſus teneros

quos

Digitized by Google

quos ipſa nimium deperiret; nec valere, quod eos amaret vt Deo gratior fieret, cum ſit planè abſurdum placere aliter Deo velle quàm ipſemet velit, præſtétque illas dulcedines in eius arbitratu ponere, quàm earum odore ad orandum illum, adorandúmque minus attendere. Sacerdotibus demùm & aliis poſt ſynaxim ſacram, redire in mentem illa Chriſti verba cupiebat; me autem non ſemper habebitis; vt prono, dum datur, aditu, & affatu diuinæ præſentiæ vterentur, idque ſupplicando potius, venerando, ſéque illius indignos oculis verè agnoſcendo, quàm diſcurrendo atque meditando: cauerent ergo pretioſiſſimi temporis vt ne punctum quidem ad alia quæuis decerperent, cum in Chriſto tunc haberent omnia, & eſſet delirio ſimile, Chriſtum apud nos, & noſtri gratiâ hoſpitem, aut eius tædio, aut aliorum ſtudio domi relinquere, ſéque illinc fœdâ ruſticitate proripere.

4 Ad hæc vbicumque Auguſtiſſimum videret Sacramentum oculos ab eo nullâ prorſus causâ dimouebat; adibat ſæpius in templo, noctes coram quandoque traducens,

ducens, dolenſque vehementer, cum Tribunalia, & fora concurſu hominum feruerant ad hunc Dei thronum ſolitudinis tantum eſſe.

CAPVT VII.

Miniſteria erga proximos.

1 PRæter eximiam, & heroicam virtutem quam ætatis loco ad docendos cæteros maturæ, huic famulo ſuo attribuit Deus, hoc imprimis etiam prouidit, vt ferè vbique, præſertim initio ſublimes animas,& ſanctimoniâ illuſtres regendas ſortiretur, quarum & exemplis inardeſceret, & interioris progreſſus obſeruatione illuminaretur, & elucidandis librorum ſubſidio difficultatibus, erudiretur in propriis, quod ſibi cum S. Teresia neceſſariò præſtandum fuiſſe affirmauit intellexítque ex iis Pſalmi verbis, (Qui deſcendunt mare in nauibus facientes operationem in aquis multis, ipſi viderunt opera Domini, & mirabilia eius in profundo) qui duce obediêntiâ,& Deo confiſi ſeſe proximis commodarent, plus inde

inde lucis & pabuli, gaudiorúmque cœleſtium experiri, quàm ſi cellam, Templúmque ſeruaſſent. Opus egregium cum patraſſet, vidit poſtridie Chriſtum IESVM ſub faſce pulcherrimorum munerum fatiſcentem,& leuari anxiè quærentem, gratificaríque leuaturo,ſed onus interim vaſorum inopiâ nuſquam deponentem; ex quo ipſe patrati operis, & charitatis in proximos ſingulare pretium coniecit; aliàs verò,ipſorum miſerias totidem nobis venas eſſe auro puriſſimo grauidas; aliàs forti opus eſſe nec meticulosâ cautione, vt ne vltrò quæ vitari poſſent arriperemus labendi anſas, vreremúrque ipſa face qua errantibus prælucemus; nec pares edendis ægroti populi peccatis, & coquendo quod ex iis ducitur veneno, necaremur.

2 Ad librandum tamen inter hæc propria, alienáque pericula iter medium ac tutum, multa illi Deus oranti ſuggeſſit vt ſunt, præter illa quæ mox attigimus, grandis æſtimatio diuini operis, ad quod vocata eſt IESV Societas, grandis ſuæ ad illam vocationis opinio,perſuaſio quoque non dubia, talem fore erga nos Deum,

Deum, quales in proximum eſſemus, ſi comes, ſuauem; ſi miſericordes, propitium; aſperum atque inſipidum, ſi agreſtes, & inſulſi: Denique expectatio planè certa excitandæ illico tempeſtatis, vbi in mare deſcendiſſet, hoc eſt peccati ac Dæmonis turbare otia cœpiſſet; verum, vt ait B. Bernardus præferendam eſſe proximorum curam, etſi næuis quibuſdam obnoxiam, immuni ab iis ſolitariæ contemplationi; inter hæc tamen quibus in hoc bello ſibi à vulnere præcauit ex precationis armamentario deprompta, eminebat caſta, expeditáque ſimplicitas, & ſolers, ſingulariſque prudentia.

CAPVT VIII.

Prudentia, & ſimplicitas in proximis iuuandis.

1 SImplicitatem columbæ in eo ſtatuit, vnus vt in proximis quæreretur, & ſpectaretur Deus; metuens, illa vox ne ad ſe quoque pertineret; Quis eſt in vobis qui claudat oſtia, & incendat

dat Altare meum gratuito? hinc ſe ad rudium & vilis fortunæ ingenia votáque non minus fingebat, quàm Ducum & Procerum; illos verò deteſtabatur confeſſarios qui magnis capti pœnitentium titulis plebeios, & pauperes negligerent: quam ipſe agendi rationem abiectam vocabat, & nullius apud Deum frugis, vt qui puſillum, & magnum feciſſet, ambóſque pariter curaret. Hinc item id oriebatur, vt cuius vnius rem agebat & moliebatur gloriam, imitaretur quidem manſuetudinem, ſed excelſitatem repræſentaret auctoritatémque humanâ vtique maiorem; hanc ſuſcipiebant, velut inferiùs poſiti viri etiam Primarij, non auſi coràm, niſi de diuinis Sermonem miſcere, quorum initium ab eo opperiebantur: Talem ſe denique præſtabat omnibus quales eſſe noſtros vehementer volebat, quorum ſcilicet congreſſu ſic immutarentur adeuntes, vt in digreſſu pectus percuterent, exclamaréntque verè filios Dei eſſe. Hinc tertiò libertas animi naſcebatur tanta, vt nec ipſe proximis inhæreret, nec ſibi affigi pateretur; illos Deo non ſibi diligens, nec ferens vllis,
iuris

iuris ſui decus munuſculis, aut viſcatis amicitiis præpediri: adeò vt ſæpe quorum conſcientiam regebat, etſi hunc ſibi eripi dolerent, non auderent tamen eum illi dolorem retegere.

2 Iam verò ſerpentis prudentiam hanc æmulabatur, vt ſuæ præ omnibus ſaluti caueret, ſicque aliorum necaret ſcelera, ne ab iis viciſſim læderetur: Ex quo illa verè aurea, menſura moduſque optimus ſeſe in proximos diuidendi, abſque ſuiipſius detrimento; ambiendi eorum non tam numerum, quàm profectum; iuuandi omnes quos quidem ad ſe Dei prouidentia mitteret, ſed eos maiori aſſiduitate, quibus cùm parùm videretur odiſſe crimina, ad magnas virtutes animus anhelabat, credens ſibi à Deo imputandum, ſi quas ducentis culpâ non aſſequerentur; vnde illos, quà verbis, quà facto ſeriò exercebat in domandis animi motibus, & prauis affectionibus elidendis, ſed eâ gratiâ & lepore, vt inde in illum propenſiores remanerent, eius autem exemplo multa honori, & commodis valde importuna, quæ agendo cum proximis incidunt, amplecti ſtuderent.

CAPVT

Capvt IX.

Fructus Abulæ in multis editi.

1 HIs Baltaſar geminis artibus peritè admouendis, mira vbique ad Dei gloriam edebat, qui eo conſilio multis hunc vrbibus, prouinciiſque commodabat, vt eo igne quem ipſi ſubdiderat, longè, latéque omnia inflammaret. Abulæ Auguſtinum Oroſium Nobilem, & egregium virum cuius ægrotantis confeſſionem exceperat, paulò poſt conualeſcentem viſens, tantâ vi permouit, vt Religioſo exinde viueret quàm ſæculari ſimilior, & in exercenda miſericordiâ totus eſſet. Franciſcum Salſedium vehementer iuuit ad prenſandum faſtigium Chriſtianæ virtutis, quam cum nobilitatis legibus ita iunxit, vt eum B. Tereſia Equitem vocaret Chriſtianum, ac plurimi faceret. Ciues è Primariis non paucos tam efficaci imbuit diſciplinâ, vt traditam ab eo vitæ rationem diù fortiſſimè retinerent, inter quos vnus confeſſionem & Euchariſtiam doctus ſecundâ cuiuſque

hebdomadæ feriâ vſurpare annos quatuor & triginta nunquam prætermiſit. Vlloiam nobilem viduam formæ ac mundi muliebris incredibili ambitu tenaciter captam, pari vtriuſque contemptu affecit, egítque id maximè, vt quas ipſe inſtitueret, feminæ, delitiis modum, pompæque facerent, quod ægrè ex illo cum audirent, quæ id ab ſe nequibant obtinere, alios ſcilicet magiſtros quærebant, gratulante ſibi Baltaſare hoc temporis lucrum alibi meliùs collocandi. Mitto Annam Reyeſiam & Mariam Diatiam, quas prudenti, & deliberatâ præſcribendi, agendi, carpendi, loquendíque inſuauitate, & abſurditate, ad illuſtrem prouexit perfectionis excelſæ gradum, & familiaritatis cum Domino Deo: inter alia verò, quibus Diatiam valdè ſingularibus inſtruxit, notatu dignum eſt, quod cum Dæmonis metu, cuius initio infeſtationibus vexabatur eam comperiſſet ſodalem ſibi ætatis infimæ adſciuiſſe, vt eodem in cubiculo dormiret; non pudet, inquit, poſt tantum temporis? Et es vſque adeò ipſa infans, vt in elementis etiam hæreas, Deoque tam parum confidas?

fidas? Quibus illa timorem & ſodalem fortiter abiecit; cum ea etiam de quinque fontibus patiendi contuliſſe ſe quondam meminit, dum Noſtros ad patientiam hortaretur; primus aduerſi temporis iniurias continebat; alter moleſtias corporis; tertius, aliorum mores; quartus noſtras, noſtrorúmque iacturas, & ignominiam; quintus tandem afflicti animi triſtitiam, & angores in curſu diuini obſequij, & per quæ in illo ab eius vicariis probamur; erántque iidem fontes meritorum, præmiorúmque vberrimi, vnde Diatia, & magnis hauſtibus potabat, & licèt octogenaria expleri viuendo non poterat; quia non poterat patiendo, cumque tanta eſſet apud Deum, vt Chriſtum Dominum interdum in Euchariſtia videret, aiebat tamen ſe cum infantibus in cœlo futuram, Baltaſarem verò in tractus altiſſimos magnâ gloria ſcandentem beneuolè ſibi exprobraturum, vt ſolebat, Iſtic pigra, & iners vetula hæſiſti?

2 Virtutem Baltaſaris, contemplationem, abiectiſſimum de ſe ipſo ſenſum, & peritiam ſpiritus ſancta Tereſia fusè

deprædicans, addit multa ipſum ſuâ cauſâ paſſum, velut fautorem ſuarum rationum, quæ tunc Dæmoni attribuebantur; nam oportuiſſe hunc aduerſantibus, & ſatisfacere, & ancipitem metu Tereſiam ſecuram reddere, cuius ille res omnes cum edoceretur diuinitus, poterat citius à calumnia vindicare niſi modeſtia, illum ſui feciſſet quàm aliorum diffidentiorem: inter pauca verò id valdè ſuaſiſſe, ne quid cælaret dirigentem; ſic fore omnino, vt ſi quos in ipſam Dæmon conatus intenderet, à Deo benè verterentur. In ſanctæ huiuſce virginis fructuoſiſſimis conſiliis, & Monialibus iuuandis multus fuit, habuítque illas vt lucernas coram Auguſtiſſimo Sacramento amore diuino peruigiles; cumque aliquando de futura ſalute mirè anxius iactaretur, precanti pro eo Tereſiæ, ſaluum fore Deus aperuit, monſtrauítque locum in cœlo eximium eius virtuti deſtinatum, quâ tum nullus in terris par ipſi viueret; quem ſalutis promiſſæ nuntium Patri mox retulit, deinde aliis è Societate, ac nonnullis item Monialibus narrauit.

CAPVT

CAPVT X.

Inſigne orandi & contemplandi donum.

1 VOta quatuor Profeſſus anno Superioris ſæculi poſt ſexageſimum ſeptimo, de communi & probatâ claſſe contemplationis vſitatæ, in qua laboribus maximis, & in ſpeciem ingratis, ſedecim annos traduxerat; ad ſerenæ illius excitatus eſt apicem, vbi linguâ ſilente, diſcurſu pridem eruditæ, & illuminatæ iam rationis tacens vt plurimum, præſentem audiret, ac loquentem Deum. Quod quo pacto ſe habuerit, partim charitate, partim obedientiâ compulſus, ad Præpoſitum Societatis ſcripſit, apud quem quorumdam ex grauiſſimis Patribus religioſus timor eam orandi formam ſuſpectam fecerat.

2 Præmiſſis igitur quibuſdam de ſtatu ſuo præcedenti, elapſis, inquit, decem & ſex annis, aduerti me repentè mutatum, laxatiſque animi anguſtiis à rebus creatis expeditum, cum ſtupore quodam

 haud

haud ei abſimili, quo beati Deo dicturi ſunt, Domine quando te vidimus, omne bonum vidimus, & ſatiati ſumus; hîc ego multa cum ſimul acceperim, tum æquam imprimis pretioſi æſtimationem, eiúſque à vili ſecernendi artem; deinde commodas in cœlum vias, meipſum quodam in cœtu intuens ad felicitatem deſignato; ad hæc nouam, & veram eorum intelligentiam quibus iucundè animus alebatur profluentem ex Dei pectore, quod introſpectabam, vnde ſummâ potiebar quiete; robur præterea ad durandum in cruce quamdiu Domino viſum foret; amplitudinem cordis, non iam vt antea perfectos, & induſtrios præ ignorantiæ meæ, imperfectíque conſcientiâ erubeſcens, ſed in Deo cuncta habere geſtiens, cum prius viuere nequirem, niſi virum ſanctum, & agendi peritum affixos lateri haberem: inde quoque manauit ſcientia ſpiritus, quæ aliis etiam, nedum mihi vni ſufficeret, cœpíque Deum experiri felicitate magnâ in rebus vel minimis me interius dirigentem; hinc & defectus non ita me terrent, ſed neſcio quo modo recreant, dum verè deprimunt,

méque

méque ipſum mihi dum oſtendunt, & ipſi deficiunt, & efficiunt, vt mihi diffidens ad Deum tranſeam, & agnoſcam ab iis diuina conſilia haudquaquam interuerti, modò ex propoſito non admiſſis, fuiſſéque impatientiæ quod voluiſſem alios ob errata ſua tamdiu mœrere dum illa emendaſſent; nunc enim video miſeratione potius, ac patientiâ proſequendos. Ex quo autem Deus hoc me loco apud ſe dignatus eſt, tota in hoc mea verſatur oratio, vt eius conſpectui me ſiſtam, interiùs mihi exteriúſque exhibito, ſed more conſtantis habitus cum eo ſuauiter exultanti; diſcurſu mentis interdum vtor ad ſcripturæ verba, interdum taceo, quod ſilentium, & quies ingens eſt theſaurus, cum Deo omnia loquantur, & pateant poſſitque me vel ſolo aſpectu corrigere penitus, inflammare, ac ſurſum euehere, mei vtique boni ſuæque gloriæ quàm ego ipſe cupidior. Hæc & alia complura de hac ſuâ orandi methodo rationis laborem minimè requirente, iuſſus tradit, probátque magnis, & firmis auctoritatibus, ſubdens tamen iis tantùm ineundam, quos ad illam

à Deo peculiariter acciri moderatores animæ iudicarint, roganſque vt cuncta penes illum ad quem ſcribebat, latitarent. Suo verò quodam aduerſus obiecta variorum, qui hanc methodum impugnabant, fuſiore commentario multa ponit, ex quibus vnum, aut alterum ſeligam, quod vtilitatis præcipuæ videatur.

3 Vnum eſt; idcirco ad hoc genus precandi, aliquos vocari, quod magiſterio multorum à Deo parentur; quo in munere plus multò valet experientia propria, quàm diuturna librorum peruolutatio; magnum ſi quidem eſt diſcenti ſolatium cum reſpondet Magiſter, & ego id ſenſi; hoc & mihi euenit, idem ſæpius probaui; ac diſcipulo non ignarus quò tendat, occurrit incipientique dicere ſuggerit, & verba quibus intelligat clariùs quòd ægrè poteſt explicare; quo, dici non poteſt, quantū Magiſtri auctoritas, & fiducia in diſcipulis augeatur.

Alterum eſt Deum, meditanti, rationum ductus, vimque argumentandi cum inhibet, velle tunc per ſe Doctorem agere, & clauſis ianuis in eius intima penetrare; quod cum eius vnius ita ſit proprium,

prium, vt nec à bono poſſit vſurpari, multò minùs à prauo ſpiritu, cenſeri debet fraudibus Dæmonis haudquaquam expoſitum; & verò illud animi ſerenum, & quæ tunc percipitur cœleſtis voluptas indicia ſunt præſentis numinis.

4 Sublime hoc munus altiſſimæ conſecuta eſt ſalutis ſecuritas, quam diuinitus accepit tantam, vt P. Ægidius de Mata multis in Societate officiis clarus diſertè dicentem audiuerit. Ego certam, & ſecuram habeo ſalutem meam; non addo extaſes alienati ab ſenſibus animi etſi multas, quod eas magis admirari, quam inuidere conueniat. Malo fiduciam qua incredibili Baltaſar ſuſtentabat ſeſe, doctus à Deo (vt ſcriptum reliquit) nolle Deum nos eſſe in petendo parcos, & qui tales eſſent ſuíſque illum anguſtiis metirentur, maligni hoſtis id dolo facere: acceſſit & quidem ex tempore inopina lux quædam & ſubita, in qua difficultates Theologicas ſibi tam pronas deprehendit, vt ſi eas longo, & improbo ſtudio complanaſſet, hæſitque menti adeò impreſſa illarum ſcientia, nullius vt opem (quo modo antea) iis

 dein

deinceps ſoluendis expeteret, quòd Patri Ioanni Pinædio conſolans aperuit, ſibimet anxiè de huiuſmodi doctrinarum aſſecutione diffidenti; & cuidam præterea Sacerdoti viro graui, ſe ſcripturæ, morúmque intelligentiam à Deo percepiſſe modeſtè faſſus eſt.

Capvt XI.

Precationis efficacitas.

1 HAnc P. Baltaſar animis Deo rebellibus ineuitabilem vibrabat phalaricam, cum verborum tela non proderant. Metinæ quidam Societatem initurus ad hanc B. Ignatij meditationibus ſe parabat, hunc quartâ qua cœpiſſet die, tanto molimine retrahebat Dæmon, nullis vt rationibus teneretur; hîc verò Baltaſar cum rogaret, vt ne illa ſaltem nocte diſcederet, erubuit ſcilicet precantis obſeruantiæ hoc negare, ne fortè à Deo puniretur; illam ergo noctem crudâ ſuiipſius præmiſsâ verberatione dum Baltaſar orando exigit, vidit miſer in ſomnis ad fores Collegij ſicarios

rios duos pugionibus armatos vt ſe abeuntem è veſtigio confoderent: expetrectus inde, morarum & noctis impatiens exilit ſummo mane, prouolutuſque ad Patris genua adſcribi flagitat in ſocietatem, in qua deinceps conſtans, fructuoſámque vitam ducens hoc identidem narrauit.

2 Illinc etiam Tyro clàm deſilierat; quod Rector Baltaſar ex eo audiens qui ſub noctem cubicula luſtrabat, in Sacellum B. Virginis ſe includit, ac poſt acrem de more flagellationem pernoctat ſupplex, vt errantem Deus ouiculam reduceret; ac reducebat interea quà metu inſequentium, quà æſtu cogitationum tam moleſto, vt ponte fluuium tranſmittenti auctor eſſet Dæmon mœrorem præcipitio ſuffocaret, ſed allucente infœlix Deo, vidit ſibi non fore difficile nocte adhuc multâ, clàm eò redire; vnde profugerat; quod commodè ſatis exequitur, & in cubiculo repertus ab eo qui fugam indicarat cum Baltaſari ſignificaretur; ſe iam ſciſſe reſpondit, pauciſque poſt diebus rem vti proceſſerat diſtinctè ex Nouitio accepit.

3 Referebat de ſe Franciſcus Abulenſis, cum ſpes alens magnas Salmanticæ libris inſudaret, maioris ieiunij tempore in Collegium ſeceſſiſſe, ad confeſſionem accuratiùs obeundam, quod tũ illic multi factitabant, dies iã aliquot obibat meditando, cum improuiſa lux hominem adorta ei tam clarè perſuadet expedire omnino, relicto ſæculo Societatem capeſſere, vt contra nitente arbitrio, & hoc mentis iugum fruſtrà depellente, in lethales penè veniret anguſtias, ac vt aliquantulum reſpiraret, è conclaui exire cogeretur, ne ſpiritu oppreſſo planè deficeret: ſolatur Baltaſar æſtuantem, ſéque hunc Deo per ſe, ac per ſuos commendaturum pollicetur, quam viri ſancti commendationem conſecuta eſt breui potens mutatio hæc Franciſcum multis cum lacrymis, nec minore animi quiete ad Chriſti pedes abiecit penitus facturum omnia, & Societatem amplexurum, etſi grauiores quàm quæ minarentur difficultates obſtitiſſent; hæc reuiſenti Baltaſari cùm referret, explicatâ fronte, oréque alacri ſciebam, inquit, ita euenturum, ſed hoc tibi vni dictum

dictum puta, & Deo beneficij ſingularis redde gratiam, quantam potes.

4 Neque hinc abetrat, quod receſſus mentis ſoli peruios Deo ſæpius viderit, nam Franciſco Reynoſo Cordubenſi poſtea Epiſpopo, tunc verò opimis prouentibus Romæ aucto, Exercitia S. Ignatij dum traderet cœpit die quadam conſilia omnia, & quicquid ex Vrbe cogitationum, ſpeíque retulerat, perinde edicere, ac ſi eius in pectore legeret, quo ita hominem perculit, vt multo cum fletu ſe totum illi dederet, vitamque in poſterum eius ductu magnarum exemplo virtutum illuſtraret. Helena Quirogia, Cardinalis Quirogij Toletani Archiepiſcopi ex fratre filia duo ſe aiebat experiri; Alterum Baltaſaris verba totidem ſibi faces eſſe, quibus in lacrymas ſolueretur, & iis aliquando præter ſolitum incenſam, centuplo quàm vnquam antea per dies aliquot peccata defleſſe, ſubdidiſſéque Patrem, cui hoc indicabat, Deo laus, quod aquam è petra duxerimus. Alterum ab eo ſe tam diſertè edocere, quibus maximè indigeret, ac ſi eius ipſe intima ſpectaret, imò ſibi priùs interdum remedia

remedia ſuggeri, quam ipſa dolorem fateretur; & verò ſemel afflictam grauiter, ac mœrentem anteuertiſſe compellando. Eia Domina, vberi hoc vtemur anno; calamitates cum patientia reddunt meſſem bonorum copioſiſſimam. Soror Marchionis Alcanicij Anna Henricea ſcripto teſtata eſt, inter multa quæ ſibi venerant, provt illa Pater prædixerat, viſam illi ſuam procul diſtantis mœſtitiam, eúmque à Deo impetraſſe, vt præter ſpem omnem præſenti mederetur: ortâ enim occaſione itineris Metinam ſe à viro deductam, quam ob deflexum itineris vitare vrbem conabatur, ibi à Patre auditam de peccatis, tantíſque refectam ſolatiis, vt loquentem rogaret, ne porrò quid adderet, parem ſe tanto gaudio non eſſe.

5 Sed prædictionem futurorum clariùs oſtendit quod ſequitur. Lugebat apud Baltaſarem pia mulier virum diù abſentem, rata caſu aliquo periiſſe; lugebat & Baltaſar miſerans, ſed reducto mox in ſeſe animo. Quid iuuo, inquit, flentem, dum pariter fleo; benè tibi res habent; & certò vir tuus hâc hebdoma-

dâ

dâ redibit, quod, vti dixerat factum eſt. Sed hic ipſo ſocrum quam obiiſſe credebat, acerbè cùm doleret, peſſumque itura negotia quædam, quod ea moriens aperuiſſet nemini, negauit Pater illam fato functam, foréque illi ſat temporis ad explicandum, quæ ſciri ex ipſa cupiebat, & fuit planè, nec eò amplius; explicato enim negotio viuere deſiit. Narrabat de ſe Sacerdos è Societate cum neceſſariis ad auxilium animorum deſtitueretur, eſſet tamen ætate iam prouectâ, valdè ſe animo iactatum, & hanc ſuam fluctuationem, cùm ſæpe Baltaſari aperiret, eiuſque conſilio firmare conaretur, interrogatum ſe ab illo, num exiſtimaret eſſe ad ſalutem conſequendam in Societate præſidia? annuentique, patrem intuliſſe, tu verò non ſolùm ſaluabere, ſed multis etiam ad hoc opem feres, viuéſque contentus in Societate; ô vocem plenæ conſolationis! quàm poſtea exitus minimè obſcurus confirmauit.

CAPVT

Capvt XII.

Efficacitas verborum.

1 PRoferenda hîc eſſet ingens turba partim nobilium Iuuenum, quos de florenti, magnáque fortunâ conuertit ad crucem, & religioſis Ordinibus donauit; partim mercatorum, quos æternis fecit, quàm fugacibus lucris ditiores; partim aliorum quos omnis ſexus, & conditionis, verborum igne potenter confixit; ſed hoc & foret prolixius, & geſtorum ſimilitudine minùs gratum. Pauca ex iis tranſuerſim delibabo. Iacebat vir nobilis in extremis penè animam agens, non alio morbo quàm inſano amore mulieris; tantâ vi Pater eum aggreſſus eſt, vt exin poſtea, quamdiù vixit dictorum eius memoriâ lancinaretur tanquam telo, tunc verò ſtatuerêt mori potius quàm Deum offendere. Aſcenſium Gallianum locupletiſſimum mercatorem ita immutauit, fecítque familiarem Deo, vt diceret: Se ſocietatis hominibus non orationem, ſed theſaurum obedientiæ

dientiæ inuidere. Honeſtam Matronam ſanctorum profectuum cupidam arcebant à Templo noſtro vir, & agnati à nobis alieniores; huic venit in mentem, vt Patrem viſendi gratia enixè domum inuitaret, & ad cōdictam diem cum viro cognati vt adeſſent, effecit, ignari quid rerum ageretur: ſuperuenit Baltaſar, ſalutat humaniter: de Chriſto ſenſim ſermonem iniicit, immenſiſque illis nominibus, quibus obſequio nos ſuo, & amori deuinxit; hîc flere omnes, eſſéque iam in ſocietatem alij, ac Matronæ propoſitum deinceps imitatione comprobare. Sed mirabilius erit quod ſequitur. Diuerterat ex itinere in Cœnobium quoddam pro amicitia nonnullorum quos illic nouerat, iis multum poſcentibus, adhortationem inſtituit, ad quam cæteri quoque conuenerunt, cuius exitus is fuit, vt per octiduum excepto nemine, cuncti Meditationibus S. Ignatij ab eo exculti ſint, tam fœcundo diuinæ gratiæ ſucceſſu, quantum eorum Prouincialis vix crederet, niſi ſpectaturus, & pars eius futurus aduolaſſet. Metinæ ad Noſtros cum primùm Rector verba fecit, flammas

mas ſuſcitauit, quæ menſes multos eorum pectora ſanctè depaſta ſunt, etiam quorumdam nimiùm ſibi attribuentium.

2 Inter plurimos autem & Religioſos, & alios, qui aut veteri eius conſuetudine, aut recentiore exciti famâ, pietatis causâ Metinam ventitabant, fuit Alphonſus Roblius ex venerabili Carthuſianorum Patrum familiâ, qui ſe poſtmodum, claro virtutis eius præconio, velut Angelum ab eo exceptum retulit, etſi alioqui occupatiſſimo, diebus ſexaginta eiuſdem vſum diſciplinâ, ac licet multos frequentaſſet interioris vitæ notos peritiâ, æquè tamen ſibi neminem impleſſe animum, comperiſſéque penitus in eo magnum quemdam ſpiritum cum ingenti Dei fiduciâ.

3 Quas viri magni ſtrenuas operas Dei rationibus incumbentes, munerabatur, & leuabat Deus temporariis ſubſidiis tam vbertim; vt re tunc tenui, nullóque ære alieno ſexaginta de noſtris Metinæ alerentur, Baltaſare in hoc curam mediocrem vix ſatis conferente, ac plerumque ignaro quibus viis ac modis

prouidentia liberalis domeſticæ inopiæ adeſſet.

Capvt XIII.

Labores animarum cauſâ.

1 PRæeſſe quidem ſine multiplici labore Collegiis, domibus, & prouinciis nequiuit, officiorum quæcumque ſuſcepiſſet diligentiſſimus adminiſter; ſed habent quæ poſthac dicentur ſingularia in hoc genere complura, quorum hic nonnulla velut in ſpecimen apponam. Salmanticæ Tertianâ laborans, miſſóque bis ſanguine accerſitus eſt à Carmelitanâ vehementer animo deiectâ, mortíque proximâ, quam erat ſolitus audire, ſurgit ſtatim è lecto periculi conſcius in quod grauiſſimum ſe dabat, cuius admonitus à Cuſtode, reſpondit multa merito deberi vnius animæ conſolationi; ergo ad Parthenonem pergit, ac dum excipit confitentem præ debilitate animo linquitur; ſed recreatus à Cuſtode, qui ſe illi ſocium iunxerat, abſoluit erectam alloquio, & pace incredibili cumulatam,

cum

cum quâ paulò poſt animam efflauit; Patri, cum ſe ægrè domum reportaſſet, duplicatur febris, perſtat nihilominus in ſua ſententia & cuſtodi, numquid nam id dixeram obiectanti? quidquid id eſſet flocci eſſe ait, præ vnius animæ conſolatione; neque tamen prætereundum eſt, ingreſſas cubiculum moniales vt deficienti ſubuenirent, cenſuiſſe non cordis deliquium, ſed raptum abſtracti à corpore animi hunc pati, tum quod arderet vultus tanquam Seraphino, tùm quod vt ſibi eſt redditus, ingentem gloriam Moniali paratam, affirmauit quâ eſſet propediem fruitura, maioréſque ab illa progreſſus editos octo menſibus ægrotante, quàm per multos annos ab aliis tametſi valentibus, & admodum probis.

2 Metinæ Tyronem quot noctibus Dæmon acriter cædebat Rectorem Baltaſarem mentitus; Tyronem Rector ex quo rem caſu didicerat, iubet oſtium pulſaturo vt ſolet reſpondere. Ingredere; ſed conditionem præmittere, ſi tibi per facultatem licet; ſin autem Rectoris cubiculum adito. Quam conditionem nihil minus aduertens cum poſtponeret

Noui

Nouitius, prius ad vocem, ingredere, Dæmon cubiculum irrupit, quàm de facultate Tyro intuliſſet, tanti fuit obedientiam, vel in verborum ordine tenere; ſuo itaque doctus malo, factuſque cautior à Magiſtro, cùm præſcripto verborum ordine laruam nequiſſimam in Rectoris cubiculum remiſiſſet, totam quidem iram hoſtis in Rectorem euomuit, eumque crudeliſſimè cæcidit; ſed magno ſtrepitu ſeſe proripiens, moleſtus eſſe Nouitio deſiit.

3 Tranſibat Villagartia Caſtellanus S. Iſidori Legionenſis Prior, Salmanticam petens, nec plus horis tribus ſubſiſtere poterat; & habebat tamen de animi rebus quæ communicaret cum Baltaſare, ante meridiem de charitate concionaturo, & adhuc imparato; arctatus in ancipiti Baltaſar, nihilò ſeciùs Priori dat operam certus ab exercenda charitate, quàm à meditanda, ſe verba facturum præſtantius; Deique intereſſe, ne rem eius agens, eius deſideraret opem; & verò tam præſens adfuit vt horæ dimidium, quod conſcenſuro pulpitum reſtabat, cum orans quoque inſumpſiſſet, egerit

egerit de charitate magnificentius,quàm ſi multis diebus lucubratam tuliſſet concionem nempè illi altè inſederat, illud diuini Apoſtoli per omnia omnibus placeo, non quærens quod mihi vtile eſt, ſed quod multis vt ſalui fiant.

4 Aliàs Valliſoletum deuenerat Burgos proficiſcens, cum adeſt ab Stephania nuntius (ruſticanâ illâ, ſed Chriſti inſigni famulâ) vrgente, diutiùs ne differret, quod erat pollicitus, de impetrando ſibi gratuito à Matre Tereſia in eius Ordinem ingreſſu; ſuſcepit Pater ſe in reditu curaturum;tunc moras non ferre quod gerebat: verum & ipſa moras ſuo negotio metuens, efficiam, ait,apud Deum, vt ſinat ſe Pater exorari. Quid plura? procumbit in genua coram Auguſtiſſimo Sacramento; & equum Baltaſar iam iam inſcenſurus febre corripitur,ac decumbit; ſed de mali auctore minimè dubius, ad Stephaniam mittit, febrim ſuis precibus reſtinguat, ſeſe illico exiturum, & quod ipſa optabat confecturum, quod & ſub veſperum iam ſanus præſtitit, ac poſtridie mane, cœpto itinere, quas ſuſceperat rebus opportunus aduenit, egregio ſanè

proui

Digitized by Google

prouidentiæ ſanctæ documento, diuerſis ſuorum ſtudiis piè, ac feliciter fauentis.

CAPVT XIV.

Præclara in instituendis Tyronibus opera.

1 QVantum Baltaſari hæc inſtitutio nomen fecit, tantâ illam interiorum petitia & luce, Tyronúmque excellentium numero, & ſucceſſu obiuit. Quantum quiſque virtutis caperet, quantum cepiſſet diſtinguebat, quid ei deeſſet, quid ex eo Deus, quâ viâ exigeret, ſic vt videretur mentem ſingulorum intimam ſpectare, & cum primùm os aperuiſſent ſequi eorum cogitata, dicendáque reſponſis occupare.

2 Inſtituendorum autem generatim ratio hæc erat, vt magno imprimis orandi ſtudio, & cum Deo agendi vehementiſſimè illos afficeret, hunc eſſe ducens bonorum interiorum fontem; quare maturis iam ætate, poſt ipſum Tyrocinij ingreſſum, dies ſexaginta in exercitia concedebat.

cedebat, quæ intra menſem cæteri concludunt, vt anteactæ vitæ nidorem, & fumum ad purum purgarent, eiúſque omnia ſimulachra melioribus obducerent; deſideriis verò Tyronum feruentibus pro igne addebat ſpem obtinendi quod cuperent, Deum enim huic ſementi ſuæ daturum incrementa, & hos primos ſui ædificij lapides ad faſtigium perducturum.

3 Deinde ingentem mortificationis veræ, ac vincendi ſui flagrantiam in iis excitabat, tanquam ſcopum contemplationis, ad quem illos haud ſanè obiter nec manu languidâ exercebat, præſertim in ſuimet contemptu, cuius mirum erat, quot & quàm varia ſectarentur, ambirent, venarentur, fingerent, inuenirent domi, foris, publicè, priuatímque argumenta.

4 Sed doctrinam adhortationū communiter omnibus affuſam, accommodabat ſeorſum ſingulis, conſtitutâ quot hebdomadis horâ conſcientiæ rationem ab vnoquoque excipiens, & peculiaribus monitis ſingulos conformans, qua in familiari adlocutione Tyronum Magiſtri palmare munus ſtatuebat, ſolando, vrgendo,

do, inhibendo, erigendis animis, & tractandis, parandâ, adhibendáque medicinâ; in quibus, & iis ſimilibus efficaciâ maximâ pollebat; aliàs enim morbi notitiam, præuertebat à Deo remedium, atque vni pio eius manifeſtandi propoſito plena ſanitas donabatur; aliàs verbulo hanc reddebat Pater, audiebat enim defixis in Chriſtum de cruce pendentem oculis, lucem ad reſpondendum petens; & accidit ſemel vt magnis olim promiſſionibus matrimonia commoda exoſo Nouitio, tunc verò illa omnino expetenti, quod pati non poſſet corporis impugnationes, huic, inquam, Pater ſubmiſsè ac placidè diceret, Religioſus, & vxoratus, tibi ne id videtur decere? apage ſis; & hac modò voce ita hominem ſedaret, vt nunquam eiuſmodi tentatione pulſaretur: quin & certò putem Tyronum mentes fuiſſe illi cœlitus peruias, vt inde onera illorum viribus æquaret; oppprtunitati monita; curas profectui. Certè Patrem Ægidium de Maſa, cum Metinam veniſſet, eius inſtitutione refouendus, ſeptuaginta ipſos dies, quibus illic fuit, nunquam de conſcientia

audiuit, etſi quotidie condictâ horâ ſe illi ſiſteret, & hac vna de cauſa Metinam optaſſet; at ſeptuageſimo demùm die piè ſub diſceſſum queritanti ſatisfecit, ſcire ſe, inquiens, nullis ipſum moleſtis tentationibus vexatum, contra iiſdem laboraſſe, quos prætermiſſo illo, audierat. Fiebat nonnunquam, vt multis ſuas moleſtias indicantibus Nouitiis, iuberet duntaxat illas Domino commendare, ſéque idem facturum ſponderet, proximâ deinde adhortatione in vniuerſum loquens, ſic tamen cuiuſque receſſus intimos conueniret, vt ſua neminem præſens medicina fruſtraretur; quæ ſi omnia parùm procederent, tum confugiebat ad ſacram anchoram, & cœlum precibus fatigabat.

6 Tandem has artes tam præclaras ſanctimoniæ in ſuis exculpendæ, virtutis propriæ obſignabat velut potentiſſimo charactere, nihil præcipiens, aut docens, quod non ipſe viuendo exprimeret. Quid mirum igitur ab hac ſchola, tam ſelectos milites exiſſe? Franciſcum Godoium, qui ſingulorum quotidie operum abſolutionem exquiſitam, quam conſue

conſueuerat ſub noctem Virgini offerre, morte pro Chriſto obitâ tandem clauſit; illâ, ex iis quas à Baltaſare aculeatas, & fortes hauſerat, magnâ voce ſocios confirmans, ne degeneremus ab excelſis cogitationibus filiorum Dei: Patrem Antonium Padillium, qui ſplendorem, & delicias ſanguinis, inuictæ ſuimet in omnibus deſpicientiæ cum poſtpoſuiſſet, auditus eſt in extremis iacens metum quo nihilominus premebatur ita diſcutere: Quid eſt, Domine, quod timeam cum me abs te in corde geſtari ſecurum feceris, eamus ſanè quocumque iuſſeris, nihil me de cætero territabit; ſed foret longius in plures digredi.

7 Addamus potius, quo pacto ad dicendum Baltaſar compararet ſeſe. Duas, tres-ve notabat ſucci plenas, grauéſque ſententias quas eſſet tractaturus, in illas attentâ meditatione orans incumbebat, validis fulciens argumentis, & Scripturæ, ac Patrum locis bracteatis peculiari Dei motu tunc ſuccurrentibus, ex multis quæ olim viderat, ituriſque proinde ictu certiore; vt eo indiculo teſtatur, quem acceptorum à Deo beneficiorum

ſibi texuerat; ſuggerebatur, inquit, mihi ſenſim quod excogitare nequiuiſſem, ſaluâ quidem lege prouidentiæ communis, communem à me diligētiam poſcentis, non tamen exquiſitiorem, vtpote ſcopo obfuturam: hoc autem ex eo conficio, quod mihi dicenda non ſufficiantur, niſi quo tempore illorum vſus eſt, quodque huius rei, experientia iam frequens, hanc in me fiduciam peperit. Collimabat porrò ad duo capita; vnum vt Tyrones Societatem ad quam erant vocati, maximi facerent, maximè amarent, vita omni & moribus referrent: alterum, vt iidem in omnibus Deo, Præpoſitis, rationi, ſeſe præberent morigeros. Quare Societatis prorogatiuas quatuordecim ſignârat, de quibus ad illos per annum egit; harum prima erat, paupertas ſpiritus ab rebus, perſonis, lociſque liberi: altera, fraternus, & ſummè concors, inter ſummè diuerſos amor. Tertia, æſtimatio virtutis præ quouis alio naturæ, ingeniíque ornamento. Quarta, votum obedientiæ ſupremo Chriſti Vicario ad Miſſiones quaſlibet præſtandæ. Quinta, facultas ab ſe reiectandi quos tanquam

tanquam noxios humores obeſſe corpori deprehendit. Sexta, modus prudens externarum ſui afflictationum, ex eorum qui præſunt iudicio, quaſi viuâ regula cenſendus. Septima, vſus publicarum in Triclinio mulctarum ob cauſas alioqui leues. Octaua, conſcientiæ perſpicuitas moderatoribus expandi ſolitæ. Nona, auulſio à conſanguineis. Decima, horror dignitatum, ſuffragiorúmque immunitas, quibus eæ diuidi conſuerunt. Vndecima libertas ſapiens, nec incuſtodita, quæ Tyronibus datur, dum peregrinatum, vel Miſſionibus deſtinantur ad periclitandam eorum conſtantiam. Duodecima finis excelſitas, præſidiorúmque ad hunc aſſequendum vis & præſtantia, cum ſalubri famæ, magníque nominis odore. Decimatertia, perfectæ decus obedientiæ nec perſonis, nec rebus, nec iubendi modo, iubentiſve dotibus definitæ. Decimaquarta & vltima, aduerſarum rerũ perpeſſio ex perennibus, ſeu errantium, ſiue malignorum inimicitiis, aut communibus, & fortuitis caſibus, quâ ſanè continetur, acuitúrque virtus & pietas, imò Societas latiùs, & glorioſius fundi-

tur, vt è contrario, tum honorum, tum deliciarum occaſionibus, ſi quâ in illam inferrentur, magnum eſſet diſcrimen aditura.

8 Huiuſmodi thematis ad locutionum publicarum cum ſuos ad omnia religioſæ vitæ decora fingeret, præſertim ad ſui totius abnegationem; tùm exterioris hominis cõpoſitionem haudquaquam negligebat, ſed eam Noſtris magnopere neceſſariam ſic tripliciter concludebat. Primò, quod bona noſtri opinio, ſine verâ noſtrâ, miniméque fictâ modeſtiâ non poſſit in hominum animis conſiſtere. Pòſt, quòd nullo cultus auſterioris velo obtegatur, ſi quid aduerſus modeſtiam peccemus. Denique quòd caſtigata hæc compoſiti oris, & ſenſuum, corporíſque totius ratio mirè orationem iuuet nobis vſque adeo commendatam: quamobrem ſibi accuratè, ac minutatim collegerat, quicquid parùm decenter, parùm vrbanè, aut etiam ruſticè quibuſvis in rebus & actionibus à religioſis hominibus peccabatur, vt tam ſibi quàm ſuis pro ſpeculo id foret, nihílque in iis eſſet quod non, vt ait S. Auguſtinus

nus grauitati, & ſanctitati profeſſionis noſtræ benè reſponderet.

9 Ad extremum iis piorum librorum ac Thomæ potiſſimum de Kempis lectionem valdè inculcabat, vt qui viuæ vocis magiſteria ſupplerent, quæ ſæpè eſſent defutura, mutos enim illos, & emortuos præceptores vitam ab eo qui vnus vita eſt, ſuis lectoribus impertiri. Sed hæc in Tyronibus exercendis; nunc in aliorum gubernatione cuiuſmodi fuerit paucis innuamus.

CAPVT XV.

Rectoris munus à Baltaſare geſtum.

1 HOrrori primùm regendi munus Baltaſari fuit tenuitatem ſuam reputanti, grauitatémque rationum quibus reddendis norat ſubiacere; ſed laxauit hunc metum Deus, & diuinæ in morem gubernationis, miſeratione potius patienti erga ſuos affici voluit, quàm triſti indignatione. Iuuit hoc Dei conſilium Martinus Guttierus, qui ſibi olim iiſdem timoribus laboranti, expoſtulantíque

rique apud Deum, oſtenſum narrauit argenteo in diſco cor ſuum ita exiguum vt guttis ſanguinis penè duabus mergeretur, mox amplum aliud & capax, quod eſſe cor Dei didicit, tot vbique locorum & gentium, tam impiis nefariiſque ſceleribus nihil aut depreſſum, aut arctatum, ſed infractâ patientiâ tempus operiens ex tam mala ſemento bonam meſſem legendi, & hoc ipſum debere æmulari, quod & in poſterum contendit, & Baltaſari vt idem faceret non vanus author fuit: aiebat tamen Baltaſar iis qui præeſſent, minimè omnium corpori ſuo indulgendum, minimè omnium mente curis ſolutâ viuendum, quibus omnium onus, omnium defectus, profectuſque incumberent.

2 Antiquiſſimum ergo ipſi fuit, vt rem Collegij vtramque ſuis precibus fulciret, ſed temporariam æternæ nullo non tempore ac loco poſthabuit; itaque paſſus numquam eſſet de penſo pietatis quicquam demi, exterioris miniſterij gratia; nunquam tepidam eruditionem piæ, feruentique ignorantiæ prætuliſſet; in virtutis eximiæ hominem quoties incidebat,

debat, eſto indoctum, atque rudem; auelli ab eo non poterat; Miniſtrum Collegij ſolitum, vbi quid deeſſet (deerant autem frequenter multa) inquietius ſe adire, blandè ad orandum remittebat, monens id omnibus præmitti debuiſſe, non pendere ex eius induſtria; tam paruū gregem illum paſtori non ſtetiſſe, vt eum negligeret; redibat Miniſter poſt fuſas preces & inſperatis ſæpe modis aduertebat confectum, quod tantopere agitarat.

3 Ad hæc animo excolendo quò ſui expeditiùs vacarent, iis neceſſaria corpori, tum liberaliter, tum ſollicitè prouidebat; luſtrabat quot menſibus eorum cubicula, cum veſtium cuſtode; quærebat, iubebátque ſcribi quo quiſque indigeret datum-ne id foret poſt paulùm exacturus; negligentibus ſui curam, plus curæ volebat tribui, at longè plurimum ægrotis quos noctu etiam, quieſcentibus cæteris viſebat, ſi periculoſius ægrotarent.

4 Communium porro obſeruationum ita erat tenax vt ad orationem, Examina, menſam, culinæ officia, euerren-

dam domum, primus omnium præſto eſſet, Deóque id ſtudium placere maximè dictitabat, vnde hoc ab eo pro ſingulari dono obtinuit, vt ſufficeret præſtandis quæ ex religioſâ diſciplinâ vulgò alij ſeruabant; ac noui quidpiam petentibus in quo ſe vincerent ſuadebat potiùs vti conarentur, immunitate procul, & priuilegiis, ritè communibus & perfectè fungi, addens tanti eſſe, vt ſi propterea debilior, ac breuior vita futura foret, non eſſet tamen recuſandum; quin & Patri Franciſco Riberæ (quanto & quali viro) differri ad ſecundam menſam prandium volenti, quòd in horas pomeridianas pararet diſputationibus præeſſe, author fuit ad primam accedere, idque ipſius inſtituto vtilius etiam futurum, vt re ipsâ fuiſſe diſputationis exitus probauit.

5 Iam Baltaſarem adituros nihil fuit neceſſe commoditatis articulos captare; vir erat omnium horarum, ſemper ſibi ſimilis, humanus, grauis, amabilitate venerandâ beneuolentiam ſuorum, ac reuerentiam fouens & excitans, ad quos, ſi quando eſſet opus perſonam edere vultuoſiorem, at mox recipiebat ſeſe ad fa-

miliarem

miſiarem ſuauitatem; publicè verò niſi cum honore nunquam cum iis, aut de iis loquebatur; ſagax in ore ſingulorum deiectionem mentis & lætitiam attendebat, nolens in Dei domo quemquam minùs lætum incedere. Duriora verò ingenia, & petebat vltrò à Prouinciali, & blandimentis prudentibus ſibi, ac obedientiæ ſubigebat.

6 Vt autem palàm ſit, quàm nihil, etiam leue, aut ſperneret, aut parùm grauiter expleret; dies Veneris cum legiſſet, quibus (quod debent interdum Rectores) orantium obiret cubicula, illo ipſo die, qui Villagarſiæ poſtremus illi regendi fuit, eam conſuetudinem non omiſit, quamuis eſſet ſtatim poſt orationem Toletum abiturus ad onus prouinciæ ſubeundum; graui profectò regentibus, & neceſſario documento, non eſſe ideò defunctoriè agendum, quòd ſucceſſorem proximè expectent, ſed flammam luculentiorem candelæ inſtar in ipſo defectu, Domino miniſtrandam.

7 Hæc & plura ſcripto ſummatim complexus eſt, quo bene regendi egregiis monitis velut coloribus ſeipſum nihil

hil minùs cogitans expreſſit. In iis primum erat, quiſquis præeſſet in Societate non eſſe Dominum, ſed Dei filiorum ſeruum, quibus operam deberet ita gratuitam, vt neque gratiam ab ipſis nec approbationem expectaret; Deinde hanc illis ſui fiduciam præbere, nihil vt ipſum vellent penitus celatum, ſed abſque dubio tenerent pronâ ſe pectoris totius, & effuſâ declaratione, vti apud Deum, ſic apud Prælatum pluris æſtimandos, quod confitentibus, & auditoribus perſuaderi maximè ab noſtris iubebat, ratus pudore aperiendi ſui perire innumerabiles. Tertiò nequaquam ſuſpicari, laudem rectè inſtructi, ſanctéque Collegij humanæ vllius eſſe induſtriæ ſed prorſus diuinæ, tot Libani cedros æreo brachio flectentis. Quartò, ſic officium aggredi, vt omniùm animos ſibi deuinciret; nullius affectu apud alios impingeret; omnes illum, ſuâ putarent conſuetudine gaudere, curamque muneris non inuitum mœſtumque gerere; iubendi neceſſitatem diſſimulare initio tantiſper; eâ nunquam vti imperioſiùs, ſed modeſtè, velut conſulendo inſinuare quod optimum cerne-

ret; ſic emolliri indociles, efferatos placari. Quintò, familiaribus colloquiis ſuos crebriùs iuuare; viſere etiam interdum; multò verò magis adeuntes etſi occupatum admittere (vt teſtes eſſent occupationis) ac bonis verbis dilationem agendi mulcere; dum verò ij loquerentur quaſi feriatum attendere, nec ſcribendo, aliudve tractando contemnentis ſpeciem præbere. Sextò, iniunctæ gubernationi, miſſis quibuſcunque aliis, ſe totum tradere; ſic longè pluribus per ſuos egregiè munitos profuturum, quàm poſſet ipſemet per ſeſe. Septimò, ſuis facem ad omnia præferre, ſemperque propriis ouibus præire, ne fruſtrà eos ad illas regulas hortetur, à quibus legitimè ſe putat recedere. Octauò, boni conſulere, quicquid ad ſe à quouis deferatur, verbiſque ac vultu dictorum eius gratiam teſtari, quo ſanè potenti illicio tam exulcerati leniuntur, quàm Præpoſitus de multis docetur etiam ad ſe, regendique modum & opportunitates attinentibus. Nonò, quanquam aduerſus inſolentes iungendum ſit robur cum ſuauitate; cedendum tamen aliquando contumaciùs

maciùs obluctanti, ſuſtinendumque quem Deus ſuſtinet, ne pax communis perturbetur. Decimò, nunquam committendum, vt, quæcumque tandem euenerint, iratus reprehēdat, ne indignantis, auerſiue animi culpa charitatem lædat, quæ caput eſt Dei mandatorum, expectandum quoad fluctus ponat; reū interea ſe ſibi ac Deo redditurum: reprehenſionibus verò vt pharmacis vtendum parciùs, ne aſſuetudine vaneſcant, vel inuiſum faciant medentem. Vndecimò, nunquam proritandos, qui conturbatione aliquâ poſſidentur, ſed mitigandos tolerantiâ, miſeratione, bonitate, iactiſque in cœlum precibus, ne fodicati ruinam præcipitent & pereant funditus pro quibus Chriſtus mortuus eſt. Demùm, vt Rector nimiùm ſuſpicax ſuos contrahit, & cruciat, ſic eumdem benè de illis ſentiendo, fidos efficere, ſibique addicere. At hæc carptim notaſſe ſufficiat, ſequatur nunc.

CAPVT

CAPVT XVI.

Humaniorum ſtudiorum & iuuentutis cura.

1 EX tot Societatis muneribus nullum Baltaſari humanioribus ſtudiis foueri chariùs videbatur, quod etſi minimùm præferrent ſplendoris, at magis diuinæ gloriæ conferrent: nam & pueros Deo, morum probitate maturè in perpetuum auctorari; & eorum parentibus difficilè onus, ſed neceſſarium minui, pararíque tranquillam ſenectutem; & Reſpublicas integras, cum hæ illarum ſpes adoleuerint, Chriſtianâ ſapientiâ fermentari, quâ nihil ſit vtilius ad vitam ciuilem, efficacius ad probam, ad æternam ac verè beatam ſecurius.

2 Hinc magnos ſpiritus horum ſtudiorum profeſſoribus ſubdebat; magnâ charitate, opportuna vrgebat commoda; magnum publicè honorem habebat, licet iî nonnunquam Tyrocinium non expleſſent; magni ab Noſtris volebat fieri; ſed iiſdem magnopere ac ſæpè Societatis

ſcopum

ſcopum in hac inſtitutione ingerebat, præ cunctis admonens hoc magis exemplo diſcipulorum vitam quàm doctrinâ ingenium formarent, quò mali adſpectu, quàm auditu boni proniùs capiuntur. Quamobrem præſcriptum in Societate de moribus ordinem iubebat ſeuerè ex diſcipulis repoſci, & magnitudine præmij Magiſtros animabat, quaſi eorum ſeruatores, cum Deus obſtetricibus Ægyptiis vitam infantium miſeram tam cumulatè rependiſſet.

3 Sed mens viri Dei prodit ſe clariùs ex epiſtola quam dedit ad Patrem Ioannem Bonifacium, qui profeſſione Theologiæ, qua multum valebat, poſtpoſitâ, annos conſumpſit in ſcholis humanioribus vltra quadraginta. Angebar, inquit, optione R^æ V^æ à P. N. Generali datâ; ſed magnæ mihi voluptati fuit quod cœptam occupationem retinuerit conſtanter, in hac tutius ſuam, & multorum ſalutem adeptura, quâ ipſa vtique plus eget, quàm Theologiâ ipſius Societas; & quidem Theologia ſi famæ ſtudio R^am V^am fortè ſollicitet, meminerit ſe bona iam frui, ac licet noſtrum ſit contemptus

temptus deſiderio moueri, ſibi tamen pulchræ laudi fore, quod multi appetunt reieciſſe. Ad locum autem quod attinet, vti nihil nocet de illo ſuperiorem conſulere, ita conquieſcere in eodem, donec ab eo qui miſit Angelo reuoceris, eſt abſque vlla comparatione præferendum.

4 Nec erat Baltaſari ſatis Magiſtros iuuenum ad ſuum munus expolire, niſi & iuuenes ad virtutem, ipſemet erudiret, doceretque hortando, fruſtrà illis fore profeſſorum bonorum copiam, laborem, vigilantiam, aſſiduitatem ad obtinendum quod quærerent, niſi & ipſi ingentes animos, paremque diligentiam afferrent; tum ad ſingularia deſcendens accommodatis fingebat præceptionibus; & cum eſſet occupatiſſimus, mirum erat ſodalitates Parentis Virginis quàm piè ac ſtrenuè promoueret.

5 Accedebat ſanctus, & humilis labor (ſed non humilis gloria) Chriſtianæ doctrinæ pueris tractandæ, quem ſic adamabat, vt multis diebus Dominicis prodiret cum pueris, aut fidei capita decantans, aut eos ordinatim ducens, donec iis in foro, vel præ foribus Templi explicato

plicato penſo, ad plebem etiam quæ frequens aderat verba conuerteret, quibus ſemper, pro ſolenni ſuo miſcebat aliquid de amore Dei, & perfectæ virtutis, ad auditorem eius ſtudioſum, quales ferè illic aliquos ſciebat. Noſtris in Aragonia domibus ex officio inſpectis Cerueræ in patria pauliſper ſubſiſtens exibat in forum cum tintinnabulo cogebátque pueros ad fidei rudimenta, mirantibus qui eum nouerant tantum virum, tam altè ſeipſum deiicere; ex quo illud ſequebatur boni, vt hoc idem munus cæteris liberiùs, maiorique pondere ſuaderet. Hactenus ipſius regendi ratio; comitemur hinc Romam Procuratorem Prouinciæ, Metinæ cum regeret electum.

CAPVT XVII.

Romanum Baltaſaris iter.

1 TImuit primum & cauſam itineris, ad quam ſe putabat minus idoneum, & ipſum iter, pronum videlicet ad diſtrahendas animi, diſſipandaſque vires; verùm, vt ipſe in libello ſcripſit, has

has tenebras, & debilitates noua lux ſubitò diſcuſſit hac verâ perſuaſione; iubente Deo, ac ducente, nihil ambigendum; nihil cunctandum, ſuffecturum de prouidentiæ theſauro quæ ſibi deeſſent; quæ poſſent obeſſe remoturum, eius tantùm amori, & obedientiæ parendum, quibus fretus Moyſes, qui in confertis illis populi infiniti, ac turbidis fluctibus, quàm in ſemotis Orebi paſcuis, factus eſt Deo familiarior; amandi Dei, ac Deo placendi voluntate noſtram de illo fiduciam niti, & eſſe probos adeò illi caros, vt velit ipſos omni ſollicitudine vacuos per ſe ipſe curare.

2 Hanc prouidentiam cum aliàs in itineribus, tum in hoc Romano per loca hæreticis infeſta miram expertus eſt; nam & quotidie celebrauit, & iter penè orando inſumpſit, & Romæ, quod tempus ſacris monumentis, profaniſque ſpectandis occupatur, ad reliquiarum ſacraria precando poſuit; & magnam virtutis perpugatæ, quod minimè omnium agebat, opinionem omnibus reliquit, ſed Generali maximè Præpoſito Franc. Borgiæ interiorũ profectuũ æſtimatori perſpicaciſſimo.

3 In

3 In reditu verò Iacobo Mirono Luſitanis Viſitatori dato valde inuitanti, ſibi vt illuc ſocius eſſe vellet, excuſauit modeſtè deſiderium quietis Metinenſis: Inſtanti autem, laudantíque occaſionem tam obuiam prouinciarum noſcendarum quarum poſſet Viſitator eſſe; ſubridens, ah! ſcires mi Pater quàm ſim, ait, ab eiuſmodi officiis alienus; quantóque pluris faciam ſecreto in angulo Tyrocinij latitare, nequaquam me his ſpebus tentares: fuit hoc animi Deo ac virtute contenti.

4 Sed raræ admirabilitatis, quod redeunti per Galliam contigit. Ibat cum comitibus, die iam mediâ in vrbem vix quarto milliari ab ea ſitam, in quam diuerterant, & paludoſa ſectabantur, quod eſſent montana graſſatoribus infeſta; iam ſe luto equi ægrè attollebant, & qui reſtabat ingens tractus, lacunam aliquam minabatur, cum vocem pueri audiunt ab latrocinantibus ſubmiſſi, monentíſque vt deflecterent verſus montem, pergunt nihilominus contra metum creſcentis periculi donec temerarium apparuit vlterius tendere: iamque decreuerant

rant de itinere retexendo, cum ecce tibi clarum proſpiciunt, & ſplendidum equitem eâdem quâ venerant accedentem, & adeò quidem expeditè, vt ſi regiâ viâ graderetur; propior factus ſalutat humaniter, ait ſe locorum peritum, fidenter ſequerentur, breui ſe illos ex iis paludibus educturum; quod ante Solis occaſum præſtitit, monſtratóque illis quo ibant loco quingentis paſſibus diſtante, ipſorum ex oculis, atque in oculis manifeſtè, videri deſiit; quod beneficium, vt Mironis virtuti, ſic Baltaſaris precibus videtur aſſignandum; nam hoc ipſo anno quo contigit, elapſi ſæculi ſeptuageſimo primo notatum reliquit ſe die Decembris 22. fuiſſe erga tres è Beatiſſimis Angelis ſingulariter affectum, primum Gabrielem nuncium Incarnationis; ſecundum conſolatorem orantis Chriſti; tertium iugis in cœlum ſacrificij æterno Patri perlatorem; tum ad tres alias beatorum turmas ſpirituum, quæ Chriſto ſcilicet pugnanti, precanti, ac iter agenti quondam adſtiterant, boníſque nunc etiam ad eadem præſto eſſent; ſuis demum, ſibíque creditorum tum hominum, tum

tum officiorum præſidibus ; & ex eo tempore agnouiſſe, peculiari ſe illorum reuerentiâ teneri, vt qui ſe illis à Deo conſideret fuiſſe præcipuè commendatum.

5 Lauretanâ in Æde, quam cupidiſſimè, ob cultum Virginis & viſit, & veneratus eſt, quantum diuini ſpiritus hauſerit, poſt annos aliquot vix tandem patuit ; nam periculosè decumbenti, cum ſacræ ipſius ac Ioſephi ſponſi producerentur imagines, moneretúrque ex hoc præſidium poſcere, optimè, inquit, ſic enim Domina mihi dixit, quo de reſponſo interrogatus Ioannes Santius, qui tunc curabat ægrotantem, & olim Laureto fuerat comitatus, mente repetiit, dixiſſe Baltaſarem Lauretanâ ex domo, poſt fuſas preces exeuntem, magnum ſe pietatis ſenſum erga S. Ioſephum concepiſſe, quod argumento eſt, quàm piè veneraretur tantam Matrem, cuius etiam Româ Tabulam detulit, ex B. Lucæ depictam autographo, quod in S. Mariæ Maioris colitur. Ad hanc Metinæ in Sacello Tyronum collocatam frequens erat noctéſque interdum ſolidas ; quem Matris

tris optimæ ſingularem cultum iam inde ab Societate inita creſcentem Dæmon horridis illi conatibus & imaginibus quondam turbauerat, mirautíque quam ſuſtinebat vim; remitte tu, & ego remittam (inquit Dæmon) erga iſtam præſertim fœminam, quam dicunt Mariam; qua hoſtis impuri ſacrilega voce dici non poteſt, reuerentia Virginis quantum in Baltaſare aucta ſit.

6 Ad extremum Sanctos, quorum toto illo itinere beata pignora ſpectauit quanto proſecutus ſit honore ex eius verbis colligitur, ſcripſit enim illos Auguſtiſſimum Sacramentum tanquam luminaria coronare, radios eſſe veri Solis, firmamenti ſtellas, torrentem fluuium ex Dei ſede bullientem, & Chriſti palmites, de quibus nefas ſit abſque lacrymis loqui, quòd noſtrâ illos degeneri vita confundamus, nec erubeſcamus miſeri teneras Virgines, & adoleſcentes tantùm roboris habuiſſe vt excellenter ſaluarentur, dum nos puſilli, & inertes humi perpetuò repimus; cum iis verò tractabat quandoque vt Dei Aulicis, cauſam iis ſuam commendando; aliàs tradendo libellos

bellos ſupplices, hoc eſt, vſitatas ad Deum, & Mariam preces, quibus ij merito ſuo, verbíſque gratiam & pondus adderent. Tandem mente verſans honorabile nomen eorum coràm Deo. Obſtupui, ait, obſeruantiam ac reuerentiam, vt ſic loquar, magni illius Dei famulos ſuos, ſiue alloquentis, ſeu reprehendentis, atque ab illa maieſtate, eorum didici venerationem; ſed patientiam eorum quo pacto in morbis æmulatus ſit videamus, poſtquam hunc Metinam reduximus.

Caput XVIII.

Morbi & patientia.

1 VT teſte B. Bernardo, nec vanitate expletur animus nec corpus voluptate; ſic amantiſſimus ſuorum Deus, ad vtriuſque perfectam victoriam argumenta contemptus, dolorumque iis ſuppeditat: & quidem grauioribus in morbis, ſua Baltaſar valetudinarij cuſtodes & medicos tolerantia perſtrinxit, inſtar Iobi ſaniem teſtâ radens, hoc eſt aduen-

titium

Digitized by Google

titium dolorem voluntariis proritans, vt capitis 4. numero 2. attigimus.

2 Vallisoleti pro mortuo habitus & velata iam linteo facie, recreatus eſt ab ſocio Santio, quem inſuperabilis inſtinctus perpulit, vt contra ſenſum Medicorum de ſuperioris facultate, pauxillum aliquid nutrimenti ægroto infunderet; in eo tamen præcipiti magnam vir ſanctus lætitiam prætulit ex futurorum ſecuritate ortam, & diuinæ amore voluntatis; aiens ſe mortem nihil metuere; re angi nullâ, nullâ detineri. Sequuta eſt hanc ægritudinem quartana, cuius tædia & iactationes vultus placidiſſimi ſerenum minimè obſcurarunt; quin ipſa in acceſſione cuidam miſerenti, dicentique fieri non poſſe, quin maximè torqueretur, perinde eſſe ſubintulit; pati videlicet aut non pati; quanquam,vt erat prudens, & inculpati apud omnes exempli viſentes non admiſit,quamdiu vehementius æſtuabat, ne quod forte verbum aſperius, melancholicus humor eius pabulum febris, incauto eliceret.

3 Horum vi morborum; munerum labore, atque itinerum attrita valetudo,

D fuit

fuit penè deinceps continens quidã morbus, vrinæ, renum,podagræ,aliíque,quos diſſimulabat ita induſtriè, pauci vt illos iíque domeſtici conſpicarentur tantùm; nihil enim communis, nihil priuati,nullam propterea muneris partem declinabat, quod eſt virtutis ſolidæ, limatæque: imperfecta enim aut valetudinem gratis etiam dolet, aut vltrò prodit tactam leuiſſimè, quò ſibi miſerationem, laudem, æſtimationem, blanditias, & ſolatiola corroget, quæ ſi ad nutum non veniunt, indignatione, & querelis ſe domúmque miſcet vniuerſam; ſancti quamdiu poſſunt ſua coram Deo ac Dei causâ clàm coquunt incommoda, & honori ducunt.

4 Ad hæc viuam dolorum & ignominiæ, quæ cor Chriſti peruaſit, deoſculabatur, & amabat crucem, gaudebátque ſemper tale aliquid pati; ac ſæuum, aut leuius id foret, non putabat minus glorioſum,quàm è Crucis ligno vel tenuem aſſulam Chriſti attactu conſecratam:vnde illa eius ad merentes vox crebra, cauendum de Crucis arbore, vt nec folium iis minimum periret.

5 Deni

5 Denique cum eſſet pretioſiſſima in agendo ipſius opera, patiendi laude hanc Deus cumulauit, vt quemadmodum ſanctus Timotheus B. Pauli diſcipulus; Sancti Gregorius, Bernardus, Franciſcus mira pertulere, geſſere maxima; ſic ipſe vtrâque gloriâ clareret, eſto enim ſit excellentior doloris perpeſſio, qui omnem aufert agendi facultatem; ſed optabilior profectò, quæ ſic valetudinem cruciat, viréſque atterit, vt tamen Dei obſequio proximorúmque vtilitatibus ſit ſatis. Hac ægrotandi aſſuetudine miſereri ægrotis didicerat, ſed volebat illos ex Dei nutu perfectè pendere. Quare operarium inſignem inquietiùs ferentem, quod nauare proximis conſuetam operam nequiret, pluris à Deo fieri docuit, quod quis eum per menſem ſuſtineret, quàm quod ope ſacrorum miniſteriorum per annum proximis adeſſet.

Digitized by Google

CAPVT XIX.

Salmanticenſis Collegij gubernatio.

1 IN regendo Salmanticenſi Collegio id potiſſimùm contendit Baltaſar vt Noſtri virtutem eximiam cum præſtanti doctrina connecterent; duas hæc eſſe arbores in horto voluptatis, ſcientiæ nimirùm & vitæ; duo luminaria in cœlo, ſed valde diſparia; duplicem ſpiritum Elizæo datum, quem S. Bernardus interpretatur, intelligentiam, & affectum; ex virtute vitam, efficacitatem, authoritatem, conſtantiam naſci, parari animum ſcientiæ, mentis oculum perpurgari, quam in rem etiam, precandi amorem mirè prædicabat, ſuique vincendi; maximè in iis quæ ad literas ſpectarent, quale inter alia cenſebat ſtudendi tædium, vbi ſtudium iubetur; deſiderium dum vetatur; curioſitatem, cum certis limitibus, modis, libríſque definitur; ſuperbum pudorem, conſcientiæ magiſtrorum, & condiſcipulis ſeſe occultantem; arrogantiam iactatricem, ſibíque

bíque aut honorifica, aut præmatura depoſcentem, huiuſque generis complura; nihil verò æquè ad literas tranquillè, atque alacriter cum profectibus animi iungendas, facere, quàm ſi obirentur Deo ita volente, ipſique placendi conſilio: ſed hoc pluribus ſcripto diſſeruit, quibus illud ingenij ac ſpiritus fœdus arctiùs ſtringeretur; in iis cùm præmiſiſſet facilitatem negotij ex ordine quo illud Societas diſtinxit, vult ſcholares Noſtros principem apud ſe religioni locum, & culturæ interiori re ipsâ tribuere; huic ancillari eruditionem; ſtudere illos abſque anxietudine, quæ cum in aliis mirum quàm noceat, tùm verò in literis (cum præpoſteram vrgeat, & defunctoriam grauiorum rerum, diuinarúmque feſtinationem;) vult eoſdem id ſolùm in ſtudiis quærere vt Deo obtemperent, eiuſque ſe manibus ad prædas animarum aptè fingant; non prætermittere particulas temporis, quas ſupra ſolitum licebit orationi dare, cum ſit definita communiter omnibus precandi hora, ſed priuati, quos quiſque patitur ac ſentit defectus plus aliquid ex eo flagitent; hor-

rere præterea feruoris imminutionem; charitatem condiſcipulorum, ac Magiſtrorum communem, modeſtam, beneuolam tenere inuiolatè; demùm poſtquam eſſent neceſſariâ diligentiâ perfuncti, euentum illius ſedato animo in Deum deponere, quod ſolum quærentibus Deum procliue fore ſubiungebat.

2 His vt inſiſterent documentis, ſuauiter quidem, ſed & fortiter inſtabat; ſuas ab vnoquoque regulas vigilantiſſimè repoſcens & temporum ſpatia, tùm Deo, tùm libris ſtatuta; nec pœnæ parcens erga delinquentes etiam Profeſſores; vtque magnam habebat rationem ne quid corporibus deeſſet, ſic de rationibus animi ſaltem quot menſibus cum iis agebat, quantíque illos & eorum labores faceret, ſignificabat illis identidem, ac ſe in omnibus adeò omnibus patrem exhibebat; vt amaretur, obſeruareturque ac frequentaretur ab omnibus. Narrabat ex iis quidam Sacerdos iam factus, ſe tunc temporis de media nocte deſperabundum, & vix compotem ſui ad illum veniſſe, correpto brachio excitaſſe, editóque cunctanter nomine, rogatum

tum à Patre humaniter quid ergo illa hora vellet? cumque ſe reſpondiſſet mori, rectáque ad inferos tendere; iuſſum ſedere, mitigatum, erectum, & prolixâ collocutione tranquillitati reſtitutum.

3 Ex hac Baltaſaris nobili officina cum ſelecta vaſa diuini nominis portandi multa prodierint, tum inſignes fuere Ioannes Ortunius & Franciſcus Cordubenſis, qui cum ſuo in Conchenſi Philoſophia Magiſtro Oiedio, cunctiſque ferè illius diſcipulis Societatem iniuerant. De priore nihil ponam niſi admirandum ex ore Baltaſaris præconium in quadam ad noſtros cohortatione, nempe ſe in Patrum Eremi cultorum ſacra hiſtoriâ nihil maius notaſſe iis quæ in Ortunio vidiſſet; tantæ is fuit tam ſupra vulgarem Obedientiæ; nitoris adeò illibati, vt qui morientem de vita audiuit vniuersâ confirmarit, nihil ſe in ea non modo lethale, aut de lethali dubium reperiſſe, ſed ne grauiuſcula quidem ex propoſito admiſſa, cum tamen ætatis tertio & vigeſimo anno è viuis abiret. Franciſci fuit tanto illuſtrior

deſpiciendi ſui, proculcandique apud omnes; & in omnibus rebus ardor, quanto is erat rebus & ſanguine clarior.

4 Etſi autem ſategit Baltaſar ab noſtris ſcholaribus virtutem cum libris, ſed præ libris coli; at hoc multò magis ex profeſſoribus flagitauit, vt quorum æſtimatio & amor pronam diſcentibus pietatem illorum efficeret; dolendum aſſerens chartas & ingenia tantâ luce, vitam & animum tot næuis, & tenebris obduci; doctos religioſi ſpiritus inanes pluſquam dici queat Eccleſiæ nocere; ſe quidem, ſi foret integrum, maceraturum culinæ ſordibus, & labore horum laſciuientem ſuperbiam: contra eruditos vnâque virtutibus illuſtres magno loco & honore habebat, iuuabat cupidè, Deóque commendabat, velut Eccleſiæ, ordinumque ſanctorum columina; in iis ſanè multis, fuit Franciſcus Ribera Scripturæ interpres, quem & Tyronem habuerat, cuiuſuis etiam minimæ Societatis regulæ accuratiſſimus obſeruator, ſui verò deſpectu, affabilitate, precandi munere ſingularis; quibus ieiunia

&

& aſperitates cæteras addebat, cum in ſacræ paginæ obſcuris hæreret; talis quidem, vt cuidam fide digniſſimo patefactum ſit horam tantùm in purgatorio ſubſtitiſſe, idque ſine magno cruciatu.

5 Non ſcribo, quàm multos vtriuſque ſexus, quàm graues, quot opibus, clientelis, officiis, dignitatibus claros, ex vulgari vita in homines alteros mutarit; quorum etiam nonnullis intrepidè, & abſque vlla dubitatione ventura prædixit. Nam Chriſtophoro Velæ, Deum in re quapiam ſublimi eo vti velle affirmauit, hoc eſt, vt poſtea claruit, Canarienſem Epiſcopum creari; Annæ à Ieſu Carmelitanæ ſuperaturam difficultates ſpe humanâ maiores, quæ perficiendis B. Tereſiæ religioſis cœptis occurſabant, quarum iam nonnullas cum vinci probaſſet; gaudeo, aiebat, ſubridens Baltaſar, vt Deo credere aſſueſcas, eiuſque tibi miſericordias ab eo prænuntiantibus. Sorori vnius è Societate nolle ipſam Deum, quamuis ſibi caram diſcalceatis Monialibus adſcribi, quod deinde oblita, idem inſtitutum ex inua-

letudine relictum, cum repetiiſſet, compulſa eſt iterum deſerere, renuentibus Monialibus profeſſionem illi concedere neque vllam tamen repulſæ cauſam prodentibus.

6 Hoc circiter anno ſeptuageſimo quinto ſupra milleſimum & quingenteſimum damnatâ hæreſi illuminatorum quæ prouinciam Bæticam, prauâ rerum piarum, & fallaci tractatione peruadebat; iuſſus eſt Baltaſar monumentum aliquod inſtruere, cuius lectione docerentur noſtri peregrinas phraſes ſenſáque illorum declinare; ſed cùm ſit ex regulis Sacerdotum noſtrorum, & exercitiis S. Patris noſtri magnam partem depromptum, huic breuitati minimè videtur inſerendum; ſumma eius eſt; ſpiritualia, reipſa, & verbis, modeſtè imprimis ac demiſsè tractanda; deinde ſynceré, hoc eſt in vitæ omnis perfecta emẽdatione, ſubiugandóque in cunctis penitus diuinis arbitriis animo, ſitam eſſe mortificationis veræ formam, ad quam nihilominus obtinendam varia corporis, & prudens caſtigatio conduceret, eſſétque perneceſſaria. Iam quo idem

ardore,

ardore, quos diuini amoris proflaret radios, in epiſtolis ad abſentes iucundum fuerit, neque inutile ex paucis quæ ſubdam partim vidère, partim coniicere.

CAPVT XX.

Eius Epiſtolæ quantam ſpirent lucem veræ pietatis.

1 NOn arctabatur vnâ vrbe, prouinciáve Baltaſaris pectus, ſed vbi quempiam in Chriſto iuuandum receperat, etiam remoto, longéque poſito conſulebat: ſic Virum Nobilem de virtutis gradu in præceps deiectum epiſtolâ conuenit; teſtatuſque immenſum ex lapſu miſeri dolorem, [Peto, inquit, per Chriſti ſanguinem, te tandem reſpicias, tuíque animi obſtinationem vocanti Deo tamdiù rebellem] poſt paulum verò. Si verba ſua, ſurda aure frangentes, deteſtatur Deus, quantò horrebit magis ad flagella etiam contumaces. Mihi quidem tuus iſte caſus ſolatium omne in reli-

quam vitam eripiet, compellétque ad Dei Tribunal, ingratum, inurbanum, & degenerem exclamare; nam qui generoſi, ſolent iidem grati eſſe; Quis te faſcinauit frater non obedire veritati; currebas benè, quis te impediuit; quando, te obſecro, Dæmon ſanguinem ſuum tuâ causâ fudit, vt eum tantum diligeres? ſi cui debentur omnia, huic nihil poteſt ſine iniuria ſubtrahi; quantæ iniuriæ fuerit omnia negare? quantæ, omnibus ab eo acceptis contra eum abuti? & poſt aculeata in eamdem ſententiam permulta: Ego, ait, fideiuſſor tuus futurus ſum; pœnam egomet tuarum culparum in me recipiam, & ad deflendas illas te iuuabo, & quoniam mihi verba deſunt, ad explicandum, quo diuellor, dolorem, hîc deſino; Tu finem martyrio quo me diſcrucias impone.

2. Ad feminam verò in non diſſimili argumento Salmantica ſcribens. Accepi literas, inquit, tuas, tam valdè Aulicas, quàm optaſſem ſanctas; ſi quam ego vſquam pertinacem agnoui, Tu illa es; quo tandem vſque cum Spiritu ſancto perges contendere? Atqui hoc habeto, tecum ab

eo acerbè, duréque actum iri: adeo igitur eſt amabile peccatum, vt eius gratia certum tibi ſit Deum, eiúſque gratiam, & delicias abiicere? Dein, memorato hoſtis de ipſa ludo, ac triumpho, carnificinâ conſcientiæ ac ignominiâ, & pœnitudine iacturæ; has ſcribo, ait, quartanæ acceſſus opperiens, vt animaduertas me tui non eſſe immemorem.

3 Aliam autem natalibus claram, quæ ſe Carmelitanis deuouerat, docet, conditionis eius fructum monens, ſe nequaquam compellaturum nobilem, aut magnam, aut alio reuerentiæ nomine, cum mundo nuntium, eiuſque amori, & titulis remiſerit, videritque niſi oculos claudat, contemptu ſe potiùs dignam; vocaturum itaque felicem, quæ tantum boni à Deo nacta ſit, cuius ante omnia verum ſcopum opus ſit ab ea verè intelligi: ſi roges forſitan quò potiſſimùm eniti debeat? Ad maximum tui altúmque contemptum; nihil eſſe animæ, Chriſti non ignaræ, honorabilius quàm eum vtcumque ſimilitudine aliqua referre, vix autem ipſum re alia magis, quàm hac humilitate delectari, haud equidem illa, quæ geſtu,

geſtu, verbíſque fingitur, ſed quæ menti piæ, non abſque ſedulo, ac diuturno labore incoquitur,&c.

4 Miris præterea, ſed veris & neceſſariis cautelis Ioannem Caſtrium ex Ordine S. Auguſtini datis Auguſti 28. anni 1574. conſolatur; ne ſic progrediendi cupidine, internarúmque dulcedinum angeretur, vt pace mentis excideret; niſi modum deſideriis faceret, plures inde illi à Dæmone creatas iri moleſtias quàm denſim atomi volitarent; cupis, inquit, proficere ac precationi ritè vt Deo placeas vacare, ſineſis, te ab eo regi, amorem illius in hoc primitus teſtare, vt quacunque ipſe innuerit ducentem lætus ſubſequaris, contentus eo quod dandum cenſuerit, modico, magno, etiam nihilo, futuruſque illi tranquilla tua paupertate, quàm celſitate imaginariâ gratior; huc vſque Deo, vt tibi libuit ſeruiſti; age nunc, ipſi viro tantum die, vt cupit ſeruias; ac animi quidem inſtaurationi, monitoríque mentis occulto attendas; ameſque tuis aduerſari, obluctaríque arbitriis; tui verò profectus menſuram ſecurè Deo, plenéque committas. Alterum

quo

quo iactaris malum, telum eſt apertum fraudulenti hoſtis ſuadentis mutationem loci tibi ab Obedientia conſtituti; quietus dege cum IESV & Maria profugis, nec enim es melior IESV & Maria, nec Eldanenſes (apud quos agebat is Pater) Ægyptiis peiores. Artem hanc Dæmonis euidétius manifeſtat laboris nauſea quem de Chriſti exemplo, per pagos, Caſtella, & vicos ſuſcipis, at caue cenſeas, animarum quæſtus paruo tibi eſſe propoſitos, quæ Chriſto ipſi ſanguine ſteterunt; nihil potes grandius patrare, quàm vt tibi ipſi moriaris, cum nequaquam grano vber fructus niſi mortuo debeatur; idcirco miſeri tantulum edimus, quod nec ipſi nobis neque mundo ſat mortui ſumus.

5 Sacerdoti quidam ex Societate ob turbam cogitationum oranti obſtrepentium, valde triſti, reſcribit inter alia triſtitiam illam natam videri, ex frigidiore diuinæ obſequio voluntatis; nam amore crucis pugnam euadere ipſa quiete lætiorem; augeri merita certanti legitimè; per eaſdem illas cogitationes quibus à Deo reuellimur, tentandos ad illum aditus;

tus; naturæ noſtræ prauitatem iis ſtimulis egere, quibus ad Deum compellatur, cogatúrque illi inhærere ne ab eo exerrans deteriùs habeat: poſſe hinc præſentis ſemper Dei viuacem nobis formari memoriam, ſi minus qualem aptaremus, àt quali Deus potius gaudeat, quaque horror Crucis, & amarities vbique diluantur; eſſe hunc modum diuinæ præſentiæ, nondum perfectis, opportunum, vt quibus vel ipſe ſui amor, hanc moleſtiarum temperationem iucundam efficiat, quòd ſub Dei oculis perferantur.

6 Verum quòd animus abiiciendi ſui, abiectionem quandoque pariat; alium pariter è Societate ob defectus ſuos timidum & meticuloſum, ſed confiſum ſe à Deo amari probante ſcilicet ac erudiente, nec poſſe illum tam ſollicitè requirenti, ſe tamdiu ſubtrahere; hunc, inquam, Baltaſar ſuauiſſimè alloquens; apud me certum eſt, inquit, tua Deo placere obſequia, & Deum tecum eſſe, cumque iis omnibus, qui vitam exuti veterem, nouam quoad poſſunt, amplectuntur ex diuini ſpiritus veritate deſcri-

ptam,

ptam, etſi huic mille imbecillitates, & plures capillis ceſpitationes admiſceant ſuas; ſed hæc poſſidere, & ſentire toto inuicem cœlo diſtant, tenentúrque multorum oculi ne Chriſtum agnoſcant, dum eius fruuntur, experiuntúrque præſentiam; agendorum enim doctrina interior, etiam minimorum, obiurgationes mox vt ab eâ deflexerint, tormentum animi ſeipſum afflictantis, quòd Deo ſegnius & ipſe ſeruiat, & ſeruire alios videat, quam tantam deceat bonitatem, hic, inquam, calor adeo multiplex æſtuoſus, mordax inexpugnabilis, etſi moleſtiarum aquis alluatur; vnde, te quæſo, niſi ſubiecto ab igne naſcitur & nutritur? vnde niſi ab nouo ſpiritu, noua illorum, & eadem quæ Dei ipſius in Deum propenſio, cum ante in mundi rationes toto impetu raperentur? Velim apud te id ſtatuas, duplo te fore acceptiorem Deo; hanc fiduciæ viam conſectando, quàm ſi pergas vt ante diffidere, ac meticulosè incredulus eſſe. Ex his paucis literarum fragmentis (nam totas reddere hinc foret alienum) non obſcurè apparet, quantâ Baltaſar perfunderetur

Digitized by Google

retur luce, quàm altâ, puráque virtute fulciretur.

CAPVT XXI.

Villagarcienſis Collegij gubernatio.

1 COllegij huius, & Tyrocinij quam ſimul obiuit gubernationem poteſt quilibet de iis quæ diximus laudare: hac ergo lectori occupato, intelligentíque condonatâ, hîc ſolum de Magdalena Vlloia eius fundatrice Ludouici Quijadi, Principe Vidua (quem Aulæ, Hiſpanicique peditatus, & Conſilij Indici Præfectum Carolus V. habuerat hæc è Baltaſaris diſciplina in eam ſe ſuſtulit virtutis eminentiſſimæ gloriam, vt præterquam de Deo, de conuertendis ad Deum hominibus, de miſeriis pauperum leuandis, nihil aut cogitante aut noſſe cuperet; longum ſit narrare erecta Collegia, Noſocomia, miſſiones ad excolendas Chriſti doctrina ſyluas, & deſertos montes, aliáque pietatis opera, tùm præſentis, tùm futuri ad poſteros magnitudine fructus egregia. Ouetenſe quidem

&

& Santadei Collegia eò maximè inſtituit, vt ſuppeterent multi qui piis ſubſidiis defecta loca reficerent, eratque hoc ipſi adeò infixum, vt diù noctúque ac ſiue accumberet, ſiue quid aliud agitaret non poſſet hoc telum ſanctæ charitatis excutere. Poſſent huc plurima referri quæ Baltaſaris inſtinctu, & doctrinâ, ſublimis illa mens & dixit & patrauit, ſed quia eius vitam non ſcribimus, vnum pono quod illum potiſſimùm ſpectabit.

2 Interfuerat Magdalena celebritati pompæ, qua in noſtrum Templum Villagarcienſe Auguſtiſſimum Sacramentum illatum eſt, volebátque ante ſuum diſceſſum optima fundatrix ædificatum ab ſe cum Templo Collegium inſpicere, iamque inferiorem porticum febribus ſtipata cognatíſque feminis intrárat, cum Pater Viſitator Baltaſarem auertit, mandátque per illum fundatrici, è Collegio exiret: modeſtè Baltaſar hìc multa proponere, quæ hinc valdè grauia imminerent; contra nihil eſſe incommodi, ſi hoc diſſimularet ſaltem, Viſitator, cuius ipſe author non fuerat; ſed iube-

tur

retur luce, quàm altâ, puráque virtute fulciretur.

Capvt XXI.

Villagarcienſis Collegij gubernatio.

1 Collegij huius, & Tyrocinij quam ſimul obiuit gubernationem poteſt quilibet de iis quæ diximus laudare: hac ergo lectori occupato, intelligentíque condonatâ, hîc ſolum de Magdalena Vlloia eius fundatrice Ludouici Quijadi, Principe Vidua (quem Aulæ, Hiſpanicique peditatus, & Conſilij Indici Præfectum Carolus V. habuerat hæc è Baltaſaris diſciplina in eam ſe ſuſtulit virtutis eminentiſſimæ gloriam, vt prætérquam de Deo, de conuertendis ad Deum hominibus, de miſeriis pauperum leuandis, nihil aut cogitante aut noſſe cuperet; longum ſit narrare erecta Collegia, Noſocomia, miſſiones ad excolendas Chriſti doctrina ſyluas, & deſertos montes, aliáque pietatis opera, tùm præſentis, tùm futuri ad poſteros magnitudine fructus egregia. Ouetenſe quidem

&

& Santadei Collegia eò maximè inſtituit, vt ſuppeterent multi qui piis ſubſidiis defecta loca reficerent; eratque hoc ipſi adeò infixum, vt diù noctúque ac ſiue accumberet, ſiue quid aliud agitaret non poſſet hoc telum ſanctæ charitatis excutere. Poſſent huc plurima referri quæ Baltaſaris inſtinctu, & doctrinâ, ſublimis illa mens & dixit & patrauit, ſed quia eius vitam non ſcribimus, vnum pono quod illum potiſſimùm ſpectabit.

2 Interfuerat Magdalena celebritati pompæ, qua in noſtrum Templum Villagarcienſe Auguſtiſſimum Sacramentum illatum eſt, volebátque ante ſuum diſceſſum optima fundatrix ædificatum ab ſe cum Templo Collegium inſpicere, iamque inferiorem porticum febribus ſtipata cognatíſque feminis intrárat, cum Pater Viſitator Baltaſarem auertit, mandátque per illum fundatrici, è Collegio exiret: modeſtè Baltaſar hîc multa proponere, quæ hinc valdè grauia imminerent; contra nihil eſſe incommodi, ſi hoc diſſimularet ſaltem, Viſitator, cuius ipſe author non fuerat; ſed iubetur

tur ſecundò vir mirè obediens; omiſſis pluribus parere; illicò igitur quibus poteſt verbis apud talem ac tantam Principem iuſſa exequitur, ſenſu quidem illius peracerbo; fratris verò qui ſimul aderat Marchionis, quique illos ſororis in noſtra ſumptus parùm æquis pridem videbat oculis, tam acri indignatione, vt proiectis ex ira chirotecis, præ hoc, inquit, euentu Caſtellæ regnum nihili fecero, vt ſcias quibus, quàm gratis hominibus ô ſoror te tuáque addicas; at nullius magis quam Baltaſaris animum tam noua expulſio tranſfixit, vt cui perhumanum gratùmque inerat erga beneficos, tam effuſos præſertim & tantos, ac liberale ingenium, in re tam pronâ, & facili, cuique præter ſcrupulum merum, cuius Prouincialis Rector, aliique perdocti, ſecurum Viſitatorem faciebant, nihil obfuiſſe videbatur: Itaque negabat poſtea ſe quidquam in vita ſenſiſſe moleſtius, ſapientiſſimo & amantiſſimo ſuorum Deo ex imprudentia quorumdam aliorum virtutem, laudémque exculpente; nam Princeps verè ac ſolidè pia, tantùm abeſt, vt de amore in Societatem

quic

quicquam remiſerit, vt Domum reuerſa in Collegium miſerit, qui Baltaſarem ſolaretur, certúmque faceret, conſtare ſibi de grata, beneuola & ſanctâ, ſed nimium timidâ Viſitatoris mente; nec defuere opportunitates, quibus deinde noſtri multis modis gratiam illi teſtarentur, quibuſque ipſa incredibili voluptate fructus illius Collegij ad multorum ſalutem abundantiſſimos ſpectaret.

3 Interea illam ſuis literis abſens, præſens colloquiis velut gemmam inæſtimabilis pretij elaborabat ſolers Baltaſaris caritas, exſtimulabatque ad ſui maximè abnegationem, quæ in huiuſmodi multum ſui iuris ac placiti hominibus, & tum ſibi obſequi aſſuetis, tùm excipere aliorum obſequia, eô clarior eſt, quò certè rarior, magiſque ardua; reſcribens ad illam aliquando etiam obiecit, quòd in reddendâ animi ratione fuiſſet breuior, quaſi plura de ſuis progreſſibus, vel regreſſibus non haberet; contendit autem, & aſſecutus eſt hoc illi præ cæteris in pectus defigere, nihil vt vſquam vellet præter Deum, mentémque vt ab diuitiis ſic ab hominibus quibus

quibusvis, ac rebus creatis expeditam, nudámque Domino conſeruaret.

4 Etſi verò exiguum oppidum ſit Villagarcia non ſuam propterea Baltaſar inexplebilem ſitim ab animorum lucris abſtinuit, ſed cum ſe viris Principibus, inter quos Franciſcus Borgia, deinde Dux Candiæ; Primariiſque omnium Ordinum etiam Religioſorum, illuc ad refocillandum exercendúmque ſpiritum aduentantibus tribueret, tùm ſic verſabatur inter plebeios & ruſticos, itaque illos otiosè, humaniter, iucundè & affabiliter, audiebat inſtituebátque vt ab iis iuxta & diligeretur & magnifieret.

5 Inter illuſtres quas iuuit feminas, fuit Dux Friaſenſis, eiuſque filiæ Ioanna, & Agnes Velaſiæ, illarúmque Matronæ, ad quas Villalpandum è proximo interdum adibat; ac Ducem Friaſenſem pietate dudum, virtutibuſque exercitam erudiuit, quo illa referri oporteret; ad hoc nempe vt lubens voléníque amplecteretur quicquid Deo placeret, cui generoſæ optatæque ab ipſa deſtinationi cùm edaces curæ magno ſtrepitu obturbarent, dedit iis ſedandis Baltaſar meditationes ad

ad illam duas de prouidentia diuina, iubens coràm Deo, in cuius oculis geruntur omnia quæcumque nobis eueniunt, cogitare imprimis nihil poſſe omnino grauius, leuius, nobis accidere, niſi prouidentiæ ſanctæ nutu ſaluti noſtræ conſulentis. Ex iis deinde Chriſti verbis, ſcit Pater Veſter, quia his omnibus indigetis, & ſollicitudine quam incredibilem gerebat ipſa pro filiis, certò confiſcere, quàm tutò debeant filij ſuas omnes curas in parentem Deum proiicere. Tertiò non fuiſſe nobis quemcumque hominem prouidentiæ huius tam prodigæ, beneuolæque interpretem, ſed vnigenitum ipſum qui eſt in ſinu Patris. Hæc ad eam fuſiùs ſcribenti interuenit forte Ludouicus à Ponte de rationibus animi tractaturus (obibat enim tùm tertium probationis annum) indicauitque ſe eiuſmodi aliquid legiſſe ab ipſo Domino Beatæ Sinenſi Catharinæ traditum inſertúmque eius dialogo de perfectione; hic autem non lentus tenuitatis ſuæ Profeſſor Baltaſar, aliorum aſſuetus iudiciis, & conſiliis deferre, locum mox petiit, exſcriptúmque eadem operâ ad eandem

eandem principem feminam tranſmiſit; huius quoque filias eò inter cætera perduxit, vt quotidianam ſtipem, quæ mendicis diſtribuebatur, manu propriâ erogarent; ſic pretioſas veſtes linteo præcinctæ ſuam cuique ollulam implebant, Baltaſare interim Chriſtianâ doctrinâ illos imbuente.

6 Sed ſit huius capitis clauſula, periculi exitus adeò inſignis vt miraculi ſpecie non careat. Ibant hæ Principes cum Matre Valliſoletum Villalpando, vehebatur curru altero vix quadrima cum multo gynæcæo Comes de Hara; currum hunc in montis deſcenſu efferati equi cœpere præcipitem raptare, excuſſóque auriga, tanto impetu curſum incitare, vt eius ſiſtendi omnem peditibus, equitibuſque copiam auferrent iamque de curru, eiuſque onere actum erat, ruinæ ſcilicet vbique inſtantibus, cum caſu contigit P. Baltaſarem in eam viam incidere, qui periculo territus illicò procidit ad orandum: res mira & equi conſtitere, & quamuis iactatæ, quæ intra currum erant; nihil tamen ex eo detrimenti ſentire.

CAPVT

CAPVT XXII.

Sui demiſſio, & contemptus.

1 QVò eſt rarior hæc virtus inter plauſus, famamque procerum, hoc mirabilius in Baltaſare eluxit; vt enim altè ad cognoſcendum Deum fuerat euectus, ſic magnis ſpatiis eo duce in ſeſe deſcenderat. Narrat ipſemet in libello ſe die quadam cum euigilaſſet, iucundiſſimæ ſenſu cogitationis recreatum (ita nouit Deus ſuis abſynthia condire) in qua videbat animam ſine Deo, noctem eſſe meram, mutabilitatem, cinerum aceruum ventorum obiectum ludibriis, acum magneticam à polo auerſam, ſtultam, ſtupidam, deformitatem ipſam; Deo autem coniunctam contraria omnia poſſidere. Aliàs, inquit, enixè à Deo cum petiiſſet, nihil vt cogitaret, loqueretur, gererétve, niſi ex ipſius honore & gloria, ſemi adhuc ſopito nec tale quidquam ſuſpicanti, momento incidit, noſtram hanc in ſpiritu vitam ſplendidam eſſe ex auro telam, in qua

non poſſemus craſſa & vilia propriarum cogitationum, verborum, & operum diuinis fila intexere abſque indigna fœditate, eò profectò turpiore, quò plura de noſtro aſſuimus, vt cum aureæ vni de Deo cogitationi, viginti noſtras de inaniis noſtris ſubteximus; telámque haud minus deformamus, quàm qui nobis ad cœnam plura decuplo inſipida, & graueolentia, quàm eſculenta apponeret: neque hîc malorum noſtrorum meta; nam eæ tamen noſtræ iuſtitiæ, menſtruatæ pannis ſpurciores, nihilo nos modeſtiores reddunt, cum heu ſtolidi inſoleſcamus exiguo, ſi quod iis admixtum eſt bono: hæc aſſiduè verſantem, ſui pudor ingens & deſpicientia tenebant, quaſi virtutis adhuc valde nouitiæ nec quicquam perfectè abſoluentis. Addit alio

21. Decembris 1575. loco ex euentu duarum Miſſionum, ſibi Deo fidendum medullitus cum ex ipſomet Deo, percepiſſet, intellexiſſe poſtea nihil eſſe omnino, in quo non deberet ſibi diffidere. Vidi clariùs, inquit, quàm meos digitos, Dei vnius ope me tutò periculis defunctum, meam loquendo ſcientiam ex eius ſapientia profectam, ſolam hanc

hanc eſſe ſermonis partem, quæ opus cum lucro faceret: Vnde contrahebatur ſancto metu, ne Dei gratia precando excideret, Deóque iam proximus conuerſionis ad illum ſuæ deſideriis flagrabat; imò ſubortâ dubitatione placeret ne Deo, hanc tandem illi concedere, tenerrimo ſenſu ipſius miſericordiæ ſic confirmatus eſt. Quid ſi te aliquis offendiſſet, damnarétque factum, num id tibi gratum accideret? certè gratiſſimum; ſi erubeſceret, doleret, quamuis ad pœnam ſe ſiſteret, decerneret verò nunquam tale quidquam deinceps perpetrare? multò ſanè is tibi acceptior fieret, iuuaréſque illum ad ea præſtanda, ſi minus viribus valeret. Quid ſi eſſet tibi magnis titulis obſtrictus, cuperéſque ab eo diligi? tùm profectò, quâ tuâ, quâ illius causâ, nihil ei ad reſipiſcendum præſidij negares; & dubitas ergò, ſit ne erga te Deus æquè miſericors vt eſſes in alium futurus? hos ſibi animos, Dei humilis ſeruus faciebat, nec enim deſperat vera humilitas, nec animũ abiicit, aut timidior eſt, ſed quantò ſuæ imbecillitatis, tantò eſt diuinæ opis ſecurior.

Menſe Febr. 1574.

2 Neque in hoc Baltaſar acquieuit poſtremo humilitatis gradu, ſed ex conſequenti qualis ſibi apud ſe videbatur, talis videri ab aliis, talíſque tractari voluit, vilis & abiectus, & nihili: quare animi bona occultabat diligentiſſimè, quod cum initio moleſtum ſibi arduumque ſentiret; occurrit menti, quantò plura Dei filius occultaſſet; ſéque ipſum exinde erubuit, & fuit tam ſolers in diſſimulandis erga ſe ſingularibus Dei miſericordiis, vt ad nos de multis pauciſſima venerint; ex aduerſo autem vltrò dictitabat, ſe nec ingenio pollere, neque ſcientiâ, vel re vlla ob quam eſſet aliquo habendus loco; Quin & Ægidio Gonzalo Caſtellæ prouinciæ Inſpectori, Metinenſis tùm Rector, conſcientiam, vt fit, extra confeſſionem aperiens, vitæ omnis peccata quantumuis reluctanti recenſuit, & hac ſui honoris tam forti proculcatione ſic perculit, vt ad celebrandum ſe inde conferens vix eſſet ſui præ ſtupore, vix eorum quæ ageret ſatis compos.

3 Supremum denique humilitatis gradum, quæ ſibi creditis excellentibus Dei

Digitized by Google

Dei donis, officiíſque nihil mouetur, præclarè tenuit; adeò is ſua, licet magna & ſuſpicienda parui fecit. Cohortationes in opiſtographis, & inuolucris cartaceis adnotabat, aiebat ſe ab domeſticis omnibus doceri, ac pudore ſuffundi; à Tyronibus etiam libenter diſcebat. Horum quidam tùm recèns ingreſſus, ſui in dicendo periculum præbens in Vigilia Pentecoſtes Spiritui ſancto eumdum obuiam dixerat, ſed cum ipſius inſignibus; ſpiritum illum & ſanctum eſſe, proinde illi in ſpiritu occurrendum, arriſit Baltaſari ratio, eamque poſtea ſæpiùs piè recoluit: Reſponderat alius in collatione aſcoticâ, erubeſcere ſeſe vehementer, quod res ita leues rebus magnis impedimento eſſent: hæſit Baltaſari hoc verbum, ac vario fructu nec vllo tædio iucundè identidem illud iterauit. Narrabat quidam rogatum puerum, quamobrem vir Princeps in pago, degeret, reſpondiſſe quia illic ſua haberet bona; illicò Dei ſeruus Chriſtum in terris idcirco manere ſubintulit, vt quas in iis habet poſſeſſiones & diuitias, hoc eſt animas cuſtodiret. Quamquam autem

regendi munere occupâretur penè perpetuo, nihil vſquam in eo arrogans, nihil elatius, atque audacius; ad humilia & abiecta primus; in præuertendis honore etiam ſubiectis diligens; inter omnes velut vnus ex iis, nec vllâ immunitate ſingulari; etiam domo progrediens cum ſocio authoritatis alicuius Patre, adduci ſe nullâ vi ſinebat, vt ei dexter incederet. Sed glorioſam hanc decebat ſui deiectionem ad purum exigi & omni ex parte perpoliri occaſionibus obiectis, quibus contemptu gaudens multiplici, ſimul iram manſuetudine, patientia mœrorem, vlciſcendi affectum beneficiis in aduerſarios; deiectionem animi Dei fiduciâ, & laborem diuini obſequij fideli conſtantiâ frangeret; quod quàm eximiè aſſecutus ſit vir Dei nunc eſt breuiter indicandum.

***

CAPVT

CAPVT XXIII.

Patientia in aduerſis.

1 FLocci erant Baltaſari omnia præter virtutem & diuina; in his ergo tangi permiſſus eſt, haberíque ab aliquibus rudis nouorum doctor, atque ancipitum precandi modorum, qui eſſent in Societate peregrini, doctíſque ſuſpecti, deceptor eorum quos duceret, deceptus & ipſe à Dæmone lucis Angelum mentiente, dignus ſancti officij exploratione, ne quid fortè affrictum tegeret de errore & illuminatorum; cum, vt ipſi aiebant, inertem quandam orandi formam architectaretur intellectus, voluntatíſque otio conſtantem. Ergo ad Societatis Præpoſitum defertur Euerardum Mercurianum; huius mandato Auellanedius noſtrorum per Hiſpaniam inſpector, ſcripta Baltaſaris Salmanticenſis tum Rectoris omnia ſeponit, promente, tranquillo, examen ferente, deſpectionémque Baltaſare nec verbum mittente, quamdiu hæc apud ſe Auellanedius retinuit, tametſi à multis,

iiſque grauiſſimis interrogaretur; quo item tempore falſis laceſſitus ſic ea præteriit, quaſi ad ſe minimè attinerent, facto edens quod verbis triuerat, humilitatem & patientiam abſque humiliatione, pugnáque vehementi haudquaquam perfici; eſſe partes virtutis primarias occaſione vti, tacendo, ſuſtinendo, ſuam Dei amore priuatam famam honorémque calcando; Hoc vt adſtrueret ſuoſque animaret; narrauit in exhortatione, ex quo ſuum honorem ſemel neglexiſſet, exin plenâ manu Deum in ſe fuiſſe liberalem; innuebat verò conſeſſum prouinciæ in quo palàm & valdè ſeriò, ſed falsò reprehenſus cum vrgeretur, obſtringeretúrque ab vno ex Patribus ſuam quæ tanti eſſet famam aſſerere; alterius maluit licet minùs iucundam audire ſententiam; pro magno futurum, gratóque ſacrificio ipſius ſilentium, adeóque id ex voto ceſſit, vt ſæpè auctori gratias ageret, eamdémque ſemper teneret taciturnitatem, niſi ad reddendam facti rationem obedientiâ cogeretur.

2 Nunc ſus déque à multis, dum probo, ſed cauſæ inſcio, moleſtóque ſtudio verſare

verſaretur, in vnis ad Deum precibus, & ſacri celebratione reſpirabat; nam meminit in commentario, Dominicâ poſt Pentecoſten nonâ ſe magnis animi ex re quapiam aduerſa preſſum anguſtiis, dum ad Aram facit, quadruplici erectum conſolatione, primâ ex verbis Apoſtoli, Fidelis eſt Deus qui non patietur te tentari ſuprà id quod potes. Alterâ, ante Communionem in cordis auriculam ſuggeſtâ. Si Religioſis Ordinibus fel huiuſmodi deeſſet, quid tibi pro me ferendum reſtaret; ſuccurriſſéque mox, ſi talis foret, qualis meritò deberet amariora quoque optaturum, quæ ſi iuſtis non adſint, videri ſpinas coronæ Chriſti, vel vncos aureos veſti regiæ deeſſe. Tertiâ, ſumpturo Chriſti corpus. Hoc facito, pro te quid fortè facturus ſis? Quaſi hoc ipſi diceretur. Hoc age & Chriſti corpus ſume, vnde in aduerſa fias robuſtior; commodi enim tui causâ, quid tu tale non agas, & feras libenter? Quartâ, in gratiarum actione, quaſi mentis auditum pulſaret iſta vox; æquo animo ſis, & hoc te ſolare, quod vidente & ſciente vexaris Deo, nec, quod facilè poſſet,
 inhiben-

Digitized by Google

inhibente, quamuis ipſo te, plus multo te amet.

3 Præter hæc à Deo immiſſa ſolatia, confirmabat ſe quoque Baltaſar ſolitario affatu, ſibíque, erras, inquiebat, ſi abſque vulnere, ac liuore ſperas poſſe in cœlum cõſcendere. Regnum eſt vexatis, profugis, gementibus, laceris & truncis debitum, maioráque expertis quàm quibus angeris; audebis-ne inter illos Duces, & pugnarum illuſtres monumentis caput attollere, adeò timidus, vt ſis contra rem cenſurus tuam, ſi cauſæ tuæ iudicium diuina tibi indulgentia permittat? Æſtima, quanti ſit, pro quo tam multa tam benè perpetimur; non eſt iactura cultiſſimæ, & quæſtuoſiſſimæ vineæ deflenda, quam grando aurea deuaſtat; non vides Chriſtum, ſanctóſque omnes de cœlo ſpectare, quam ritè agamus partes noſtras in hoc patientiæ ſtadio, nec ægrè minus Chriſto fore, ſi eius exempla negligamus, quàm Rectori ſuis ad laborioſa, & vilia fruſtrà per ſeſe præeunti.

4 His, & ſimilibus Dei ſeruus amarulentum pharmacum diluebat, quo viſus eſt indignationis, ac frigidæ chari-

tatis

tatis vim omnem domuiſſe; nam familiarem fratrem illos cœptantem accuſare, qui tam iniquè de ipſo ſentirent, extemplo abrupit; Veneror, inquiens, iſtos Patres, & in oculis gero, vtpote quibus haud ſanè mediocres vtilitates animæ debeo; horum autem vni Villagarciæ moranti (quo præfuturus Baltaſar mittebatur) cum palam facturum idem frater eum ſuggeret, quam malè de ipſo is eſſet meritus, Ego verò, ſubiecit & obſeruabo illum præ cæteris, & frequentiùs conſulam. Quare ſubminiſtro admodum iniunxit, ei prolixè indulgeret, quò, inquit ipſum aut lucrifaciam, aut ille me: Aliàs ſubridens & geſtiens ad ea quæ de ſe ſpargebantur, miranti hanc cauſam protulit quod inde animaduerteret, Deum ſibi omnino benè velle, quem amicorum viâ deduceret, cum ſui antea diu immemor videretur. Demùm, vt accepit nonnullos ex inſignioribus Patribus non leue aliquid, quamuis bona mente, in ſe conſciuiſſe; ob hoc inquit deinceps nullus abibit dies, quo illos Domino ad Aram ſingulariter non commendem.

5 Ex hac fructuosâ contemptuum ex-

perientia fiebat, iis vt maximè lætaretur, & noſtros publicè adhortans etiam, atque etiam inuitaret ad excipiendam cum gaudio eorum materiam culpâ propriâ carentem, eſſéque has vnctas, lautáſque paropſides quibus ſuos Dominus saginaret. Atque ad hanc eius potiſſimùm animi æquitatem, & demiſſionem ſui, ſe fluctus hic fregit. Nam etſi Auellanedius, ipſéque Societatis Præpoſitus illam eius ſilentem, ſed multorum annorum nixam diſcurſibus contemplationem, depulſionéſque obiectorum probarint (commendatâ tamen S. Ignatij exercitiorum orandi formâ, tanquam communiter tenendâ) ſed humilitatis tenaci propoſito, candore, ac patientia ſic illos rapuit, vt ſummis confeſtim Societatis muneribus eum admouerent.

CAPVT XXIV.

Aragoniam Generalis Præpoſiti nomine inſpicit.

1 POſſet huic capiti ſat eſſe quod Ægidius Gonſalus ex Generali Præpo-

Præpoſito, cuius Romæ aſſiſtens erat poſtea retulit, præ viſitationibus ſex & decem quæ tunc fuere per Societatem inſtitutæ, hanc excelluiſſe. Nam primum omnium cum iis qui præerant coniunctiſſimum animum ſeruare ſtuduit, vt communibus votis, ac viribus inſtaurandæ virtuti omnes attenderent; deinde raro ſanctimoniæ exemplo conciliauit ſuis decretis pondus, & illecebram amabilitatis. Quare nullius inſpectionẽ Collegij prius inchoabat; quàm in eo per aliquot dies ad exercendum ſpiritum ſeceſſiſſet; vocabat poſtmodum ſeorſum ſingulos, audiebátque admodum quietè, velútque ab omnibus vacuus, quamdiu habebant quod dicerent; nec colloquij ſpatium exterioris perſonæ intuitu (quo ſæpè inane efficitur) ſed interioris commendatione ac neceſſitate finiebat; auditos ſolabatur, excitabátque ad perfectionem, & familiaritatem cum Domino Deo; publicè denique ac priuatim tam dulci flammâ diuini amoris, profectúſque ſancti deſiderio implebat, vt eius diſceſſum ferrent ægerrimè.

2 Inſpectionem Aragoniæ prouinciæ à Colle

à Collegio cœpit Cæſarauguſtano, vbi theſaurum reperit virtutum ſub vili habitu, ſpecie ac miniſterio latentem, hoc eſt, Ioannem Ximenjum in temporalibus adiutorem, ex quo ſe aiebat de oratione multa cognouiſſe; notaſſe verò incredibilē in eo ſuauiſſimámque fiduciam paternæ Dei bonitatis, quam ille fiduciam pro gubernaculo, & ſummo præſidio ad quoſcumque labores adhibebat, ducebátque tum ex iis quæ expertus ipſe didicerat, tum ex altâ quadam reuerentiâ erga Deum, & fideli ac feruidâ cunctis in rebus obedientia, quas intelligeret ipſi gratas; mentem præterea ab his infimis expeditiſſimam, in aduerſis iuxta, lætíſque tranquillam, Deo penè ſemper obuerſam, & adſtantem, magníſque precando voluptatibus diffluentem; ad hæc ſui contemptum mirabilem; aliorum contra æſtimationem, curámque ſingularem, & in iuuandâ, pro modulo (erat enim ſimpliciſſimus) proximorum ſalute, ardorem induſtrium. Sed has optimi fratris dotes non fore inter homines diuturnas, credibile eſt Baltaſarem vidiſſe, cum eius Collegij luſtratione iam peractâ, in diſ-

ceſſu

ceſſu admonuerit Patres, inuigilarent chariſſimo Ximenio breui è viuis abituro, quod vti dixerat, elapſis aliquot diebus contigit, præclarâ vitæ tam religioſæ opinione, ac ſpecie in noſtrorum animis hærente.

3 Ab hinc non multum fluxerat temporis, cum iuſſus Baltaſar Peruanam Prouinciam ſuſcipere, ſcripſit ad Pinnium eius Romam procuratorem miſſum qui rem cum Præpoſito Generali tranſegerat, ſi foret ex Deo conſilium habiturum optatos exitus; nihilque vocationi tantæ ſuo vitio deceſſurum, ſi ſibi à Deo mandaretur, quippe quam ſibi non quæſiſſet, verùm ab capite nimirum Præpoſito mandatum ſubiret; eſſéque hunc ſtylum cæleſtis Curiæ, ac Dei, qui notas fecerat vias ſuas Moyſi, & per hunc Hebræis voluntates ſuas; ſe quidem à mari peſſimè habitum, ſed hoc ipſius iudicio relinquere, vel exponendum Generali, ſi dignum cenſeret, vel tacendum.

Ioannam autem Velaſſiam Gandiæ Ducem, hunc ſibi eripi durius ferentem dum placaret, adiecit ſe multis iam in-

de

de ab annis, quoad illa quæ ad ſe pertinerent, omnino tacere, ſed aucto interim precandi ſpatio; Deo, ſibíque præpoſitis integra planè relinquere. Hac ipſum animi comparatione Peruanam nauigationem aggreſſurum Magdalena Vlloia fundatrix Collegiorum trium ſuæ in Christo conſolationi, à Patre Generali obtinuit.

4 Perfunctus igitur Viſitatoris officio in Aragonia Burgos verſus, & Villagarciam iter flexit, in quo vt ingens ſuæ in Deum charitatis documentum dedit, ſic diuinæ prouidentiæ accepit. Ibat cum ſocio & germano fratre, fœdum imbribus cœlum, viæ aquis ſtagnantibus confuſæ, dies ad medium inclinans, diuerſorium ſuadebant; ingreſſus videt aleatorum manum, ſanctum Dei nomen ore ſacrilego diſcerpentium; monet, rogatque per amorem illius ne faciant; pergunt ij, peiuſque inſaniunt; quam Dei iniuriam non ferens abſque vlla morâ, & ne dato quidem iumentis pabulo, mulam conſcendit, præitque ſociis ad fugam tam execrandi contubernij: præcedebat ipſe vt conſueuerat ad

iactum

iactum lapidis, quò attentiùs oraret, imminentéque iam prima nocte in planitiem venerat, inſtar fluuij vndantem hîc inſiſtere coactus, quod nec vllum viæ veſtigium, neque index vſquam compareret, hortatur comites à Deo conſilium opémque fidenter implorent; quod vbi ſeriò feciſſent, adeſt haud procul ex improuiſo eques; ab hoc rogati quò tenderent, cum Burgos dixiſſent; is valdê comiter, ibimus itaque vnâ omnes, & ſequimini alacres, viam enim hanc, ſi quiſquam alius calleo, primúſque viam in tenebris carpens equi albi candore illam ſubſequentibus notabat; tametſi autem properaret, iumentum occurrens, quod ſub lignorum faſce conciderat, nihil immoratus ſolo tactu obiter erexit; hærebant comites præcedentis tergo, valde ancipites, quod trahi per inuia viderentur, & circumquaque lacunis doloſa ſequebantur tamen, confirmante illos continuo duce, metúmque illis eximente: In tutum emerſerant, & ſe Baltaſari adiungens, confabulari iucundiſſimè occœpit, adeóque ambo feſtinare, vt inclamaret Baltaſari germanus, miſereretur

aliorum

Digitized by Google

aliorum quos ita raptabat, præſertim famuli peditis: loqui deſierat, & ſat alioqui diſtans eques, mox famulo adſtitit, eumque poſt ſe in equum ſuſtulit, niſu nihilo maiore, quàm ſi foret faſciculus ſtraminis, ac è veſtigio ad colloquendum cum Baltaſare rediit, donec duabus ante mediam noctem horis Burgos denique peruentum eſt, ſed auxit admirationem, quod cum renuentem Patrem ad vſque Collegium deduxiſſet, ibique famulo in manus funiculum quo pulſaret ad fores demiſiſſet, ita momento euanuit, vt nemo viderit abeuntem, licet hunc famulus ex propoſito obſeruaret. Ac Baltaſar quidem germano quærenti, quò ſe recepiſſet (parabat enim beneficij gratiam) diſceſſiſſe reſpondit, quod eſſent quæ alibi ageret; ſed Patris ſocius Ioannes Nauarrus innuebat, fuiſſe Ioannem Ximenium, cuius in hoc tempus obitus incidit, & Patri dixiſſe idcirco ſe miſſum vt eum præſenti è periculo eriperet, quod ſe adhuc in viuis honoraſſet.

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT XXV.

Inſtitutio Patrum tertiam probationem agentium & ad regendam Toletanam Prouinciam apparatus.

1 RECrearat Burgis per aliquot dies nunquam otioſus, vbique frugifer Baltaſar quos aliàs in pietatem induxerat, tùm ſuum ſe charum Villagarcienſem in angulum recepit, Nouitiis operam quam ante deſcripſimus, & probationis tertiæ Patribus, de qua hîc paucula daturus; ac Tyrones quidem habebat paulò ſeuerius, quod eâ egerent veluti cælaturâ; hos verò blandius, in ipſo aditu mortificationis ſtatuebat, vt ſponte in ſtadium ipſimet proſilirent, vltróque ad ſui victoriam gliſcerent. Quam vt augeret loci celebritas (nam Villagarciæ ruſtici ferè degunt) vicinam in Vrbem deſtinabat, quo faſtu ſæculi in luce hominum protrito de ſe glorioſiùs triumpharent.

2 Poſt,

2 Poſt, nihil ipſis priùs moliendum rebatur, quàm vt religioſam pietatem imbiberent penitus, ſecumque aſſiduè, & cùm Deo eſſent, cuius ſanctos congreſſus quos expetere animaduertebat, iuuabat ſcilicet peculiari diligentia, ſi forent ad illos idonei, & vocari à Deo viderentur. In iis fuit Chriſtophorus Gonzales munere præditus altiſſimæ contemplationis, quam tamen ſibi donatam faſſus eſt, cum inanem ex literis calcare gloriolam forti animo ſtatuiſſet, non omiſſo quidem neceſſario ad illas ſtudio ſed captatis piè ſimulando, diſſimulandóque argumentis vnde ignarus, rudis craſſique ingenij crederetur.

3 At ne iſta cum Deo familiaritas ſua dulcedine hos vineæ Domini deuotos operarios ſorberet, iis Baltaſar ſæpe imprimebat, huius nimium amorem eſſe, in Societatis hominibus damnandum, nec ab Dei ſpiritu profectum, quem conſtaret oppoſitum cupere, vt qui nos ſibi ad hoc adſciuiſſet; robur noſtrum non clauſis angulis, ſed Dei tutela contineri, & hanc facilius negaturum, arbitratu ſuo ſecreta captantibus quam de nutu

fora

fora & publicum; abrogaturum ſportulam ſpiritus, priuatæ quietis auidioribus, tanquam ſeruis frugis exiguæ; Chriſtum pridie quàm mortem obiret crudeliſſimam, ſibique certiſſimam, ter precationem abrupiſſe, vt dormientes expergefaceret; curationem ſeminecis ſaucij haudquaquam fuiſſe à Samaritano verè pio in Leuitam; aut Sacerdotem reiectam, quibus ex officio incumbebat; aurum forte obuium confeſtim attolli, nec requiritari, cur qui eadem tranſierunt non ipſi ſuſtulerint. Ac ne vice versâ imprudens feruor vltra vires quemquam aſportaret, refricabat iis cum gemitu verborum Chriſti memoriam, Quid prodeſt homini, ſi vniuerſum mundum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur. Ex his maximè tribus diſciplinam omnem probationis tertiæ abſoluebat, mortificatione, oratione, iuuandorum ſtudio animorum.

4 Sub hæc, aliquot ſeptimanas ad exercitia ſe collegit quibus Toletanæ Prouinciæ ſe pararet, quam adminiſtrare iuſſus erat: in iis mira ſenſit de Chriſti paupertate, mira diſſeruit, in illud vatis

vatis Deum adumbrantis, Pauper ſum ego, & in laboribus à iuuentute mea, humiliatus ſum & conturbatus. Quæ verba viam, vitamque illius denotant paupertatis, dolorum, contemptus comitatu ſtipatam perpetuo, creſcentéque per ætatum gradus, dum quo præterea ſcanderet defuiſſet. Huius Chriſti IESV paupertatis, qua & cruciatus & ignominia comprehenditur, triplicem ordinem Baltaſar diſtinxit; Infimum, etſi per ſe magnum, quo Chriſtus rerum infimarũ poſſeſſione omni, memoria, & amore abdicauit ſeſe, vno illarum contentus mendicato, parciſſimo, viliſſimóque vſu, qui vitam corporis retineret, famem, & ſitim cæteráque incommoda non arceret. Alterum quo, & potentibus, & cognatis, & aſſectatoribus, & amicis carere voluit, quibus ſe ac ſua tueretur; quin nec vllas, etiam cum Matre ſanctiſſima amicitias iungere, niſi liberas planè ac è Dei Solius nutibus adorandis aptas. Tertium, quo ſe potentiâ, ſanctitate, ſapientiâ, libertate, ac imperio ſic nudauit, vt atrociſſimos propterea hoſtes, & dolores, contumeliáſque pateretur. Quod autem

tem ſagax medendi Baltaſar ſat intelligeret Religioſis literatis nihil eſſe cupiditate honoris damnoſius, quam vulgò item commoditatum quædam primùm, poſt inſatiabilis inueſtigatio ſubſequitur, idcirco hanc partem de amore contemptus, & ignominiæ crebrâ rationum incude tundebat, etſi multos ſciret clari nominis ad Dei gloriam momentum vanitati ſuæ prætexere, reclamante prorſus experientiâ, quæ ſibi ipſis viles & abiectos, exhibet nobis Iſraëlis Reges, credentium Patres, ſeruatoréſque animarum.

Capvt XXVI.

Perfectio Baltaſaris in amore diuinæ voluntatis.

1 FVit perfectus Dei amor, eíque placendi ſtudium, (cuius acceſſiones huc vſque attigimus) Baltaſaris ſumma perfectio; huius nunquam retrò lapſura incrementa ad perfectam diem eximiè prouecta obitus excepit, non enumerabo eius amoris gradus, cum adſcenſus ipſos deſcri

deſcripſerim, quoad chara breuitas ſinebat; tantùm eius nonnullos de eodem interiores ſenſus, motúſque proferam, ex quibus eluceat certiùs, quantum eius apicem teneret. Primum enim clara in luce perſpexit religioſi hominis princeps opus ac palmarem laborem huic totum amori integrè deberi; eſſe religioſos ordines fornaces totidem in quibus accenderetur iſte ignis, & erudiretur in arte, modóque ardendi; cruda verò ſaxa, mollita candeſcerent; eſſe, inquam, ſanctimoniæ officinas, & Xenodochia, huius flammæ telo dulciter ictorum.

2 Dei quas vocabat erga ſe miſericordias, & quarum ſibi accuratum notarat indicem, communes quidem ducebat vt proprias, nec patiebatur harum vllius in ſe memoriam, aut obſoleſcere, aut languere, præſertim verò illius amoris quo ſuos Deus complectitur, qui amor fons eſt largus & perennis magnorum in nos beneficiorum; his ergo tùm ſe inflammabat, beneficiis tum ſponte totus vrebatur, & hoc igne deſideriorum nequaquam inertium, theſauros ſibi apud illum cogebat, qui non minus eſt ſuis verè

Digitized by Google

verè volentibus, quàm facto præſtantibus liberalis. Cum, inquit, ſacris operatus gratias agerem, occurrit de hac Dei amandi forma, debere me illi mea mecum omnia conſecrare, tempus meum, meas delicias, amicos, omnia, lectiſſima atque chariſſima; cum nihil horum ipſe ſibi reſeruaſſet, ſed cuncta mihi ſua, ſumma, infima, donaſſet; arderétque præ cunctis ſeipſum tradere, quâ ſuaui cogitatione delibutus in tantam ipſius bonitatem inclinaui; vnde alios crebrò ſtimulabat, tanti facerent Deum, vt quicquid habere amoris poſſent, indignum putarent ipſius Maieſtate; colligerét proinde, quicquid eius vſquam per inferiora hæc temerè ſparſiſſent, ſeu cum illa nos ſpernunt, & abs ſe reiiciunt, ſeu cum ambiunt atque depereunt, vt totum in Deum coniicerent, comperturóſque tunc re ipſa, non in fluxis illis, ſed in vno Deo veræ ſummam lætitiæ ineſſe, & huc aiebat magnam Dei prouidentiam collimare, cum res ita diſpenſat, vt ab creaturis repellamur, hoc eſt, vt eæ nobis non ſatisfaciant; cum adſunt; adeſſe autem non pro voto noſtro, ſed pro li-

Digitized by Google

bito ſuo velint, figuli rotâ volubiliore; tranſire denique ad alium quemlibet feſtinent, vbi ſibi fore quam apud nos meliuſculè ſuſpicentur; hanc eſſe porro ſtoliditatem noſtram, vt iſto millies decepti ludo, non anteuertamus ab deſerturis ad Deum transfugere; indéque fieri, vt nec eſuriamus Deum, nec creaturis ſatiemur. At ipſe id fortiter cauerat; nec rei vllius quanquam leuiſſimæ, aut perſonæ affici delectatione cernebatur, quæ ingenuam eius diligendi Dei retardaret, perturbarétve libertatem.

3 Poſtremò illum Dei amor eò extulerat, quò nequit ſublimiùs aſcendi; ad perfectam nimirum cum diuina voluntatis propriæ conſenſionem, quod eſſe maximum ſacrificiorum intellexit, dum quiddam ex Deo peteret eius, vt putabat, gloriæ opportunum. Aliàs autem ambigenti, an expediret tunc celebrare, cum ſenſiſſet intimè, quanti ſit diuinæ perceptio voluntatis grauioribus maximè in rebus, qualis eſt acceſſus ad Altare, ingemuit, maximè ac ingemiſcendum hîc nobis cognouit, nec ſine lacrymis viuendum, quibus tanta eſſet

circum

Digitized by Google

circumfuſa ignorantiæ nox, diſcutiendáſque has tenebras orationis perpetuitate, vt eſſet promptior erroris venia, ſi quando is nobis contingeret. Alio quodam die animaduertit deeſſe tempus Societatis hominibus poſſe, quod priuatis ſuis darent arbitriis; ad diuina neque tempus, neque materiam, nec opportunitates vnquam defutura; nam ſi grano frumenti mors priùs quàm fructus decreta eſt, quàm ſtultum dolere occupatione, quæ propriam necat voluntatem? ac ſi mortis genus optare nos Dominus iuberet, quod poſſit mitius niſi ad quam nec ferrum, nec ignominia adhibentur? Tales eſſe porrò Societatis occupationes, ſtationes à Deo nobis conſtitutas, plena ipſius obedientiis ſpatia, inciſas, & hiantes venas quibus ex animo innatæ voluntatis impurus ſanguis detrahitur; expeditiſſimas, & ſpoliis hoſtium ditibus inſtratas, opulentáſque vias: Quin de ipſis quoque deliciis animi acquieſcebat planè volenti Deo, & quamuis duceret pro theſauro, cum experitur mens ſe non poſſe abſque Deo, Deique fauore viuere; at nunquid aiebat, ſi carendum ſit cor-

dis teneritudine erit & Dei gubernatione? ſi priuati ſenſus interiori dulcedine, erit communi Eccleſiæ ſenſu, ac fidei carendum? illos condi perſæpe, dulciculos ſenſus ac inopinos emergere, vt eſt fluuiis quibuſdam inſitum, quo robuſtiores hi ſolidius Dei verbo nitantur, & corroborentur; illos parciùs fluere plerumque intercipi, vt afflicto Chriſto ſimilior anima, inde fiat Deo acceptior; ſolatia illos eſſe viatorum ad repetendum iter non præmia iam emeritorum. Igitur ſupplex Deum orans inter alia, inquiebat. Qualem me fecit Deus, qualémque me ipſe peccando feci, talis volo haberi & tractari, nec plures teneritates volo, nec pauciores deſertiones, ac ſtupores quàm velit.

3 Hiſce conſequens erat documentum, quo ſuo in Deum anxios frigore ſolabatur. Primùm ſuo quoque in illo frigore, ac tenuitate amoris languidi, amare Deum inciperent, æquo ipſum animo ſuſtinendo; deinde quicquid ipſe largiretur, pro ſingulari dono acciperent; poſt, moras minimè incuſarent, laudarent potiùs (quippe acceptiores Deo) & amarent;

rent; demùm quàm poſſent Deo plurima obſequia deferrent, haud quidem hominibus (quod genus adulterij eſt) ſed vnâ & ſincerâ ſponſo vni, placendi voluntate.

4 Vnde item illud aſſerebat, precationis bonæ hunc eſſe fructum præcipuè, vt daremus Deo quicquid ex nobis petiiſſet, dotes, commoda, valetudinem, vitam, tranquillitatem, mentis lucem, animi voluptates, omnia denique, cupidè omnibus eius amore carituri; hoc eſt eius explendæ voluntatis hanc eſſe maximam ipſius gloriam, noſtríque progreſſus apicem, nec cœleſtium tædiis leuamen, per inferiorum crepundia captare.

5 Ex his principiis validæ prodibant conſolationes, quas ſæpè afflictis admonebat. Nobili viro Tertianâ proſtrato ex ſanctæ Gertrudi reuelatis, ſcripſit illos valde eſſe cæcos, qui ſibi aduerſa non gratularentur, cum eodem illo quo condidit amore illa nobis Dei bonitas immittat. Ad alium quoque non diſſimili ſententia; Qui ſemel perſpexiſſet, quantum in Deo boni habeamus, huic

ſimul ac vno in lumine oſtendi quàm pretioſæ ſint omnes moleſtiæ, quàm incitato ad Deum curſu iter corripiant, quod Deum inter noſtrámque animam loginquum interiacet; quantam prouidentiæ ſanctæ iniuriam inferant, qui ſe illis queruntur vt impedimentis retardari, cum è contrario nihil omnino ſit, in quo magis Domino placere, hoc eſt, proficere poſſimus: Religioſo viro grauiter corpore, grauius animo laboranti, in mentem reuocat quod ſancta Gertrudis ex Chriſto audiuerat, Dei ad animam virtutum inopem prodromos eſſe dolores corporis, mentíſque angores, & magnis illum extortis vocibus ad eam accerſere. Matronæ inſigni reſcribens, quæ ſe ſuarum pretium ærumnarum ex parte agnoſcere dixerat, poſt multa de illo congeſta; cum bona, inquit, tua veniâ videris egeſtatem tuam nec ſatis agnoſcere, nec quas Deus tibi offert diuitias; vnde nec æſtimas, vt par eſt, quod mittit, nec pari ac mittit amore excipis, ex quo ſubit vereri, ne id antidotum tibi deſinat in venenum; Hæc & his gemina Dei ſeruus dolore ſauciis influebat,

ex

ex diuini nutus iucundiſſima obſeruatione, amoréque deprompta.

CAPVT XXVII.

Baltaſaris obitus poſt trimeſtrem Toletanæ Prouinciæ gubernationem.

1 INgreſſus Baltaſar Toletanam domum ſeniorum Patrum adiuit cubicula, rogatâque ad oſculum manu, hac demiſſione ſapientiæ ſuæ tùm fidem fecit, vbi enim humilitas ibi & ſapientia, oménque dedit futuræ gubernationis; tum humanitate ac ſuauitate quorumdam ſuſpiciones diſſipauit de antiqua illius quam quondam audiuerant ſeueritate ſollicitas. Quod mox euulgatum, magnis ipſius deſideriis Collegia omnia incendit; huius ſe ad ea conferentis ordo itineris hic erat, tres aut quatuor matutinas precando inſumebat horas, poſt ad diuerſorium cum veniſſet, ſacrum, actio gratiarum, examen ſingulare, denique prandium; exinde pia quæpiam

lectio & recitatio horarum, totúmque deinceps ad veſperam iter in orando; nocte demum in hoſpitio, ſequentis diei matutinæ preces. Luſtratis iam aliquot domibus, ſuoque illo adhortandi, & colloquendi ardore inflammatis Belmonti in febrim incidit, quàm leuem cum Noſtris Medici, lethalem ipſe illicò præſenſit, magníſque grati erga Deum vocantem indiciis animi, ſuæque præclariſſimæ pietatis, apud Alphonſum Montoiam ſocium vitam omnem confeſſione recognouit, ritéque aliis Sacramentis ac tempeſtiuè ſe muniit, adeo ſibi Deoque intentus, vt nec viſentes admitteret, & ſuggerentem ſocium de conſtituendo qui vices eius tantiſper ſuſtineret, rogarit ne ſecũ de negotiis ageret, nec enim illorum iam tempus eſſe: Medico autem per ambages de periculo imminenti, edixerit, nihil eſſe cur ſibi timidius ſupremam horam nuntiaret; ſe vitam nihili facere, & mortem non dolere; interrogatuſque ab vno è Patribus, num gaudens, libénſque moreretur; ſi aliàs vnquam, quidni tunc etiam, ei reſponderit. Cunctis demum ex ipſius ore incitamentum ali-

quod

quod virtutis teſtamenti loco fruſtra ex-pectantibus, vitæ finem placidè impo-ſuit ſeptimò quàm ægrotaret die Iulij menſis 25. Iacobo Apoſtolo, cui addi-ctiſſimus fuerat ſolemni, Anno Chri-ſti 1580. quadrageſimo ſeptimo ætatis, Societatis initæ 25. vt ſit magnopere quod arcana Dei adoremus, ſuſpicia-muſque conſilia, tam neceſſarium ſaluti multorum, maximorúmque mortalium tam præmaturo fato euocantis. Funus magno dolore virorum Principum, fœ-minarúmque celebratum, magnis Bel-montenſis Eccleſiæ ſtudiis, quæ vltrò ſibi hanc curam depopoſcit; hinc ali-quamdiu poſt, beata eius oſſa Villagar-ciam magnificè tranſlata ibidem hono-rificè aſſeruantur.

2 Quem porrò in diem obitus inci-dit, eodem Burgis ex iis vna quas ſancti Franciſci, Beatas vocitant, diuinis mo-nitis aſſueta audire viſa eſt inuitantem, veni fidelem mihi ſeruum migrantem è corpore ſpectatura; mox ægroto adſtitit morienti; cingebant lectulum ſplendore inſignes, nec paruo numero Clerici mix-tâ frequenti Angelorum manu; his quin-

que alij, ſed pompa maiore ſacroque ornatu interueniunt, quorum vnum rebatur Chriſtum eſſe, adeò præ cunctis luce inſolitâ fulgurabat, ſed reſciuit non eſſe quem ſuſpicabatur; hic prehenſa manu ægrotum erexit, eiuſque animam ſtipantibus cæteris, feſtóque concentu in cœlum deduxit; ſubſtitere ex Angelis duo, corpúſque vnguento & thure curanere. Ac hiſce dignum honoribus, credebat primum hæc Beata, fore ex Italia Præſulem, quem ſanctimoniæ nomine vehementer colebat, cum Prouincialem Toletanum Societatis IESV hunc eſſe didicit, & è veſtigio ad Collegium accurrit, rémque vt ſibi monſtrata fuerat Patri Chriſtophoro Riuerio Confeſſario ſuo, probatæ prudentiæ, virtutis, & doctrinæ viro enarrauit. Anna Henricia Nobiliſſima fœmina, cuius ante facta eſt mentio, Baltaſaris morte, decubuerat valde triſtis, nec vllam admittens conſolationem poſtridie cum euigilaſſet, eiuſdem memoriâ repente ſic recreata eſt, itaque iucundè ac certò perſuaſa mœrorem ponere, vt quanquam vellet dolere non poſſet. Septem ab hinc annis grauiter

ter animo laborans cum exclamando Patrem requireret quîcum intima ſua conferre poſſet, improuiſo ſenſit ad dexteram adſtantis maieſtatem humanitate familiari mixtam & collocuta eſt diutiùs, illo abſque vocibus neſcio quo pacto reſpondente, omnémque triſtitiam abſtergente; cúmque inter cætera rogaſſet cur non & illius, vt & aliorum ederetur vita, ſubinnuit Pater nihil quidquam intereſſe, breui omnia in lucem proditura, breue ſiquidem eſſe quicquid cum tempore tranſiret, quo nutu magnam æternitatis fragrantiam, Dei famulæ reliquit. Die autem Apoſtoli Andreæ, cùm ab ea ægritudinem animi permodeſtam ſua præſentiâ pariter depuliſſet, gratias agentem admonuit, id omne Domino deberi, ex quo ſimul ipſa fidelitatem eius dum viueret erga Deum, poſt mortem viuere animaduertit. Fuit alia quædam Dei ancilla notæ probitatis, cui opem à Patre plurimum vrgenti cùm interiùs dixiſſet; enitere ad perfectam virtutem, leuamen confeſtim attulit, porrexítque poſcenti manum, (nam lateri adeſſe videbatur) ſic vt eam prehenſaret, partémque bra-

chij

chij mediam videret, non diuersâ quàm dum eſſet in viuis indutam veſte, ac huius brachij animo impreſſam poſt diſceſſum Patris diu ſpeciem retineret. Vir doctus, & grauis è Societate Baltaſari olim perfamiliaris, teſtatus eſt eius ſe poſtea defuncti, atque inuocati non ſemel præſidio adiutum; nec mirum afflictis erigendis nunc tantum valere, qui eorum mœrores dum viueret tanta mulcebat efficacitate. Vtinam veræ iuſtam triſtitiæ ab noſtris capitibus defendat cauſam; Deo cæteroqui nobis propitio, de reliquis omnibus ſicut eſt voluntas in cœlo, ita fiat.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

FINIS.

Laus Deo, Virginique Matri.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google